Dissertatio academica de lepra Arabum, in maris Mediterranei littore septentrionali observata : quam pro facultate legendi in alma Julia publicae disputationi subjiciet et tueri conabitur / Conr. Henr. Fuchs.

Contributors

Fuchs, Conrad Heinrich, 1803-1855.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Wirceburgi : Typis Francisci Bauerianis, 1831.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/h86q6afe

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO ACADEMICA

(2)

DE

LEPRA ARABUM

IN MARIS MEDITERRANEI LITTORE SEPTENTRIONALI OBSERVATA;

QUAM PRO FACULTATE LEGENDI IN ALMA JULIA PUBLICAE DISPUTATIONI SUBJICIET ET TUERI CONABITUR

CONR. HENR. FUCHS, DR. MED.

WIRCEBURGI, MDCCCXXXI.
TYPIS FRANCISCI BAUERIANIS.

73-2-1

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/b22271387

INTRODUCTIO

BREVEM MORBI IN OCCIDENTE HISTORIAM NEC NON DISSERTATIONIS PROPOSITUM SISTENS.

In diversis, quae systema cutaneum deturpant, aegritudinibus, quae medio aevo Europam devastabant, primum locum tenet a Graecis et Romanis Elephantiasis, Leontiasis, Satyriasis; ab Arabibus Dschossam, Dschyssam, Sala; traductoribus autem et Arabistis Lepra, Elephantia, Lepra elephantica, leonina et cet: nuncupata: — Elephantiasis Graecorum seu Lepra Arabum nostratum. —

Haec coeli ardentioris, Indiarum, Aethiopiae, Arabiae, Aegypti primogenita quasi morborum filia [1]), Lucretii [2]) temporibus Romae adhuc incognita, Pompeji aetate primum in Italia apparuit, Plinio [3]) et Plutarcho [4]) testibus. — Sed celeriter restinctam [5]) C. Celsus Augusto imperante morbum ignotum pene in Italia, frequentissum in quibusdam regionibus vocat [6]).

Saeculis autem primo et secundo p. Chr. nat. eam non in imperii romani partibus orientalibus tantum, sed in occidentalibus quoque viguisse, ex illius aetatis autoribus constat: nam praeter Caelium Aurelianum [7]), Aretaeum [8]), et Galenum [9]), Archigenes [10]) quoque,

qui semper Romae artem exercuit, eam descripsit et Aretaeus [11]) medicamentorum innumerabilium, quibus Galli in Elephantiasi utebantur, mentionem fecit. —

Abhinc istis temporibus usque ad saeculum XII morbus noster in variis christianismi provinciis nunquam disparuisse videtur — omnibus fere hujus aetatis medicis, quorum scripta ad nos pervenerunt, eum memorantibus [12]), chronica vitaeque Sanctorum saepius Leprae et Elephantiae mentionem faciunt, Sigonius [13]) ad annum DCXV refert, Elephantiam Romae quasi epidemice grassatam esse, clarique Leprae historici Raymond et Hensler misellaria jam saeculo octavo in Gallia et Germania fundata legesque a Rothare, rege Longobardorum saeculo septimo, a Carolo Magno saeculo octavo et a Gregorio saeculo decimo in leprosos editas afferunt [14]).

Longe a veritate igitur aberrant, qui bella sancta accusant, quod Lepram iterum in regiones occidentales transmississent. — Sed haud negandum est, Lepram illis temporibus usque ad finem saeculi XV multo magis quam prioribus Europae familiarem nulli aetati nullique sexui pepercisse, imo reges aggressam esse et omnium tunc vigentium morborum, peste inquinali sola excepta, maximam edidisse hominum stragem. Omnes igitur medici coaevi eam descripserunt pluresque ejus diagnosin et curam tractatibus particularibus explanare conati sunt; principes leges promulgaverunt, quarum crudelissima anno MCCCXXI a Philippo pulchro, quem ipsum foeda Lepra affectum dicunt [15]), edita omnes leprosos, veneficii eos insimulans, capi et cremari jussit [16]); ordinibus equestribus ac ecclesiasticis injunctum est, ut leprosos curae sibi haberent [17]), et civitates urbesque

minus aegris medelae quam ad eorum reclusionem et separationem a sanis fundaverunt misellaria, quorum in Gallia sola MM, in omnibus autem christianitatis provinciis undeviginti millia fuisse dicuntur [18]) quibusque miseri — eodem sane tempore plusquam ducenta millia — quasi in carcere retenti, omnibus civium juribus, parentibus, familiis, fortunis privati, vivi quasi sepulti latuerunt. —

Quorum morbus, quem tractamus, prae aliis causa erat. Equidem non ignoro, leprosos hujus aetatis non omnes Leprae Arabum seu Elephantiasi obnoxios fuisse; Leuce Graecorum, quam biblia sacra Zaraath, Arabes Baras, medii aevi vero occidentales in variis decursus stadiis Morphaeam albam, Baras album et Lepram Tyriam vocant, non mihi ignota est et Leprae Arabum affinem [19]) unaque cum illa Europae olim infestam eam existimo: Elephantiasin Arabum, Malum mortuum aliasque singularum corporis partium affectiones leprosas eodem tempore viguisse, non mihi latet; nec ab iis dissentio, qui medium aevum incusant, quod non omnes leprosi declarati et in misellaria inclusi vera Lepra, sed saepius impetigine modo, scabie inveterata, herpete exedente aliisque morbis cutaneis affecti fuerint. — Sed ex autoribus coaevis probatum tamen mihi videtur, omnibus frequentiorem Lepram Arabum genuinam extitisse: in Constantini Africani enim exemplum [20]) omnes fere medici, qui in occidente scribebant, ex: gr: Theodoricus [21]), Gordonius [22]), Gadesden [23]), Arnaldus de Villanova [24]), Vitalis de Furno [25]) et cet: secundum quatuor humores cardinales quatuor distinguunt Leprae species, Leoninam scilicet, Elephantiam, Alopeciam et Tyriam, quarum ultima quidem cum Leprae Leuces

stadio extremo congruit, tres priores autem, quibus magis insistunt, varietates tantum unius ejusdemque morbi, scilicet Leprae Arabum, exhibent. Extra dubium autem positum censeo, morbum tres in species divisum et accuratius delineatum altero, quem una specie complectuntur et minus diligenter describunt, magis iis familiarem fuisse.

Sub finem saeculi XV alia dira lues, syphilitica scilicet, a Caroli VIII castris erupit rapidoque progressu omnes Europae provincias invasit. — Lepram ei passim cessisse et primam inter alias species — in Italia jam medio saeculo et antequam Syphilis apparuerit — Lepram Arabum pluribus in locis disparuisse eruditus Hensler [26]) probavit, Beniveni testimonium allegans ac quosdam saeculi XVI incipientis autores ex. gr. Joannem de Vigo et Alexandrum Benedetti laudans, qui morbum nostrum omittentes ceteras Leprae species describebant.—

Sed non ubique idem evenit: et morbus initio saeculi XVI in Italia pene ignotus a Rondeletio, professore Montepessulano († 1566), a Lepra alba Flandriae et Normaniae indigena bene distinquitur [27]) et a Ranchino, ibidem saeculo XVII florente († 1644), tractatu particulari [28]), omnibus autopsiae sanaeque observationis notis ornato, eximie illustratur. —

Descriptiones autem, quas Gersdorf [29]) et Fuchsius [30]) initio, Schopf [31]) et Horstius [32]) vero sub finem saeculi XVI ediderunt, in Germania quoque Lepram Arabum perdurasse docent atque Uddmann [33]) refert, eam in Sueciae partibus maritimis tam frequentem fuisse, ut in paroecia Cronobyensi hoc malo laborantibus anno 1631 proprium nosodochium exstruere necesse fuerit.—

Sub medium autem et exitum saeculi XVII Lepra, inprimis Arabum, in omnibus fere Europae regionibus ad morbum rarissimum, pene incognitum redacta esse videtur: misellaria enim iis temporibus ubique claudebantur; autores, et ipse Riverius quidem Rondeletium et Ranchinum in cathedra Montepessulana secutus, de morbo nostro tacent vel in fidem antiquorum, medii aevi et coloniarum eum depingunt et fere omnes observationes singulae sub nomine Leprae publicatae vel morbos a nostro quam maxime differentes vel exempla in aliis terrae partibus, praesertim in America, nata exhibent. —

Et sic res se habuit usque ad nostra tempora, tribus modo Europae regionibus exceptis. —

Primam earum censeo Graeciae Archipelagum; — Tournefort et Peissonnel [34]) morbum nostrum ibidem observabant, Sieber plusquam mille leprosos in insula Creta vitam miseram degere enarrat [35]) et aegrum vidi natione Spezziotum. (Obs. IV.)

Secundo loco de littoribus Sueciae et Norveciae, Esthoniae Livoniaeque, nec non de insulis Ferroënsibus loquor. — Dictas insulas Leprae obnoxias esse Thomas Bartholinus [36]) jam profert, Lepramque Bothniae orientalis, Finnlandiae, Oelandiae Gottlandiaeque partis borealis Lindestolpe [37]) et Uddmann [38]) describunt, Spoering [39]) observatione singula illustrat. — Norveciae autem morbum, Spedalkshed nuncupatum, inprimis episcopatui Bergensi familiarem Martinus [40]) clarique Hensleri excerpta [41]) depingunt, atque amici Drs. Hueck et Winkler, Revalenses, mihi asserebant, in Livonia et Esthonia praeter Radesygem [42]), aliam

sane Leprae speciem in Norvecia frequentissimam, veram Lepram Arabum quoque occurrere et ab Erdmanno, Professore Dorpatensi, descriptam esse. —

Tertia dein Europae pars, quam Leprae Arabum infestam scio ipseque exploravi, littus est boreale et occidentale maris mediterranei, Cataloniae scilicet, Galliae Narbonensis et Liguriae plagae mari affines [43]). — Jam Aretaeus laudatus remedia memorat, quibus Galli — Narbonenses sane, iis temporibus Graecis magis noti — Elephantiasi medebantur, et Lepram medio aevo in iis regionibus frequentiorem, quam in aliis, fuisse, observatorum ibi degentium numerus probare videtur; Theodoricus enim, Gordonius, Arnaldus de Villanova, Guido de Cauliaco, Valescus de Taranta, Ranchinus pluresque alii, quibus meliores de morbo nostro tractatus debemus, in littore mediterranei hispanico sive gallico artem exercebant. — Post medium saeculum XVII autem initioque XVIII nemo, quem scirem, Lepram ibidem observatam descripsit et Joannis [44]) primus animos medicorum in parvam Provinciae urbem, Martigium (Martigues en Provence), convertit, quae priorum saeculorum quasi residuum misellarium adhuc et Lepram conservaverat. — Raymond [45]), Vidal [46]), Chamseru [47]), Foderé [48]) et Valentin [49]), qui morbum in Joannis exemplum Martigii observatum Lepram tuberculosam i. e. Arabum esse confirmabant, in aliis etiam pagis illi oppido contiguis praesertim Vitrollii (Vitrolles) eam invenerunt, Foderé [50]) in quibusdam Liguriae vicis, Pignae scilicet et Castelli Franci, ad viginti familias ea affectas vidit, Clavarique eadem aegritudo a Valentin anno 1820 iter per Italiam faciente observata est [51]). — In Catalonia autem morbum nos-

trum non rarum esse, diarium medicum Gaditanum [32]) probat, de cujus relatione infra disseram —

Anno praeterito et currente per Galliam Italiaeque partem iter faciens littusque mediterranei legens, in Lepram, jam prius observatam, animum converti et sors fausta mihi cecidit, ut plusquam viginti leprosos viderem et in regionibus hanc aegritudinem invenirem, in quibus nullus antea eam descripserat. —

Quae ipse vidi, quae ex indigenis medicisque ibi artem exercentibus colligere potui, publico tradere conor. — Primo diarium breve itineris quoad Lepram, secundo morbi descriptionem, tertio de diagnosi, quarto de aetiologia, quinto de cura quaedam sistens, capitulo sexto observationes quasdam singulas tam Leprae Europaeae, quam Americanae, ut lector benevolus eas conferre possit, adjiciam. —

Lepram Arabum morbum appellare malo, quam Elephantiasin: hoc enim nomine Elephantiasin Arabum s. pedum nuncupare soleo. —

CAPITULUM PRIMUM.

BREVE QUOAD LEPRAM ITINERARIUM;

VEL

SUCCINTA DE LEPRA IN ITINERE OBSERVATORUM ET COLLECTORUM ENUMERATIO.

Primus leprosus, quem vidi et observatione ultima descripsi, in patria jam mihi obvius annoque MDCCCXXIII in nosocomium Julianeum Herbipolense receptus Elephantiasis ἀναισθήτου Robinson (Lepra Arabum anaisthetos) exhibuit exemplum. — Quinque per annos (1808—13) in Hispania, praeprimis in Catalonia, militaverat ac morbi cymam sibi illarum regionum climate adlatam esse semper contendit. — Sed Leprae ibidem adhuc vigentis ignari hanc opinionem non magni momenti existimavimus aliasque morbi causas explorare frustra conati sumus. —

Magna igitur cum satisfactione Parisiis in diario medico Gaditano prius laudato [52]) legi, Doctores Grasset et Nadal ab academia medica practica Barcinonensi anno 1820 in urbem Reus [53]) campumque Tarragonense missos in illa urbe plusquam triginta, in pagis autem vicinis ad fluminis Francoli ripam sinistram sitis ex: gr: Rindoms, Vilaseca, Monroig, Cambrils, Cornudella etc. numerum hominum et feminarum, divitum et pauperum haud minorem Leprae Arabum infestum invenisse, de pluribus ex ea mortuis audivisse et ex omnibus istius

plagae medicis comperisse, morbum indigenis el mal rojo (malum rubrum) nuncupatum, prius jam Francoli ripae sinistrae haud ignotum, bello ultimo cum Gallis gesto multo frequentiorem, in ripa fluminis dextra vero altiore, magis montuosa et sicciore rarissimum, contagiosum esse et hereditarium. —

In nosodochio St. Ludovici Parisiensi mihi tam claro magistro Dr. Biett, quam magnae aegrorum copiae observatione morbos cutaneos in genere melius edocto in specie quatuor Leprae exempla in Antillis nata, quorum duo ad Lepram Arabum spectantia historia I et III relata sunt [54]), observare licuit et cl. Dr. Biett benevolo animo Leprae Arabum tuberculosae et ἀναισθήτου differentiam aliaque de earum historia naturali et curatione me docuit. —

In eodem nosocomio D. Ribes, professor Montepessulanus, primus Lepram Arabum Galliae meridionali ex. grat. Insulis (Ille), oppido in comitatu Ruscinonensi, familiarem esse mihi narravit animumque in illas regiones convertit. —

Parisiis sub finem Decembris a. 1829 Montem pessulum profectus in nosocomio hujus urbis generali Lepram tuberculosam vidi in juvene natione Gratianopolitano (Obs. VIII.) clarusque D. Delpech, cujus erga me benevolentiam grata mente assidue recordor, me duobus aegrotis, quos in urbe curabat, adduxit, quorum alter (Obs. II.) Maracaybi in Columbia natus morbo nostro jam infestus Europam petiverat; alter vero, sartor Montispelii natus patriaque nunquam egressus omni causa ignota quatuor jam per annos turpissima Lepra adflictatus tuberculorum exulceratione nasum omiserat totamque faciem tumore, ulceribus et cicatri-

cibus quam maxime deformem habebat. — Idem facultatis Montepessulanae clarissimus Chirurgiae professor mihi asseruit, se jam plures hujusmodi Leprae casus tam in Occitaniae quam in Ruscinonis littoribus, sed saepius Elephantiasin (scil. Arabum), morbum sua sententia Leprae affinem, observasse. —

Montepessulo IX d. Martii a. c. Perpinianum perveni, qua in urbe homo quidem degebat Elephantiasi cruris ingente laborans, nullus vero Lepra Arabum affectus: nec in oppido Insulis [55]) ad Pyrenaeorum radices hujusmodi aegri tunc inveniebantur, etsi praeter D. Ribes laudatum D. Massôt aliique Perpiniani medici mihi dicebant, morbum ibidem haud rarum esse. —

Sed plures ei infesti in alia Ruscinonis parte, in maris stagnique Leucatensis littore, in vicis scilicet St. Laurent de la Salanque, Ste. Marie, Ardèze aliisque mihi occurrebant, quorum duo exempla infra referam (Obs. V et VI.). — In ista terrae plaga fertili, sed plana, humili, omnibus ventis exposita, humida et ob aquae stagnantis vicinitatem febribus intermittentibus nec non scrophulis obnoxia omnis fere pagus quosdam leprosos nutrit seu nuperrime defunctos luget. — Praeter eos, quos ipse vidi, de pluribus in aliis vicis viventibus et de quibusdam familiis, quae plures consanguineorum eodem morbo, scilicet Lepra, mortuos deplorarent, audivi et licet speciem tuberculosam tantum observarem, ex indigenarum tamen descriptione comperi, anaistheton etiam interdum obvenire. — Incolae istius regionis fere omnes agricolae raro magna opulentia fruuntur, sed nec locupletioribus, nec sexui cuidam, nec aetati, nisi infantili, morbus parcit, ab ipso populo Lepra vocatus, contagiosus, hereditarius

et insanabilis existimatus: raro ideo medicum arcessunt; saepius aegros abscondunt et ex omni humana societate ejiciunt. — Praeter Lepram Arabum Elephantiasis quoque in istis pagis haud desideratur. —

Ex hac expeditione Montem pessulum redux et fine Martii iter per Nemausum, Avenionem et Aquas Sextias persecutus in his civitatibus mari magis distantibus nihil de Lepra audivi. — Primo autem Aprilis Massiliam adveniens cum mari Lepram quoque revidi in homine Nizzae quidem nato, per viginti autem annos Massiliae incola. — (Obs. VII.)

Martigii [56]) et in aliis oppidis ad stagnum Berrense sitis plura Leprae exempla observandi spe et desiderio Massiliam praecipue appulsus, omni animo in illas regiones converso ex medicorum Massiliensium celeberrimis occasionem quaesivi, istius plagae aegrotos visitandi. — Sed nulli eorum Martigium me conducere placuit, quia nullus ibi leprosos curabat civesque hujus urbis morbum insanabilem et ignomiosum existimantes fere nunquam medicum arcessunt, morbum occultant aegrosque recludunt; quae indigenarum opinio ratioque agendi in ceteris etiam pagis aditum difficilem et pene impossibilem reddit. — Vitrollii [57]) tantum femina gravi Lepra tuberculosa Ruscinonensi simillima correpta occurrebat, quam videre poteram. — Sed quod oculis explorare nequivi, relationes DD. Lautard et Cauvière, medicorum Massiliae clarissimorum, et D. Guès, Vitrollii nati medicique ibi artem exercentis filii, me docuêre, e quibus notata nunc referam.

Tres inprimis populationum ad stagnum Berrense habitantium Martigii, Vitrollii et Rognaci Leprae Arabum abnoxiae sunt, quae in aliis quoque pagis vicinis

ex. gr. Berrae, Martignaci etc. sed quandoque tantum obvenit. — Omnia haec oppida et pagi ob stagnum propinquum sub aestatis finem et antumno febribus intermittentibus vexantur scrophulaeque iis familiares sunt, sicut omni mediterranei littori boreali et occidentali. —

Lepra tuberculosa specierum frequentior, sed anaisthetos haud ignota; plures enim aegri observabantur, tuberculis carentes, membris mutilati. — Elephantiasis non raro obvia. —

Morbi in ista regione aetas determinari nequit. — Martigii e Turcia importatum censent, quem Vitrollii indigenae et ceteri Martigio accepisse contendunt. — Nemo autem contagiosum eum putat, cum nunquam vir ex femina, nec mulier e marito Lepram sibi contraxerit: morbis vero hereditariis ab omnibus adnumeratur nuptiaeque in familias ei obnoxias tantopere vitantur, ut juvenis quidam dives, probus et sanus, leprosi tamen Vitrollii mortui filius, meretricem Massiliensem in matrimonium ducere cogeretur. —

Misellarium, quod Joannis aetate Martigii adhuc exstitit, nunc desideratur, sed hucusque insulam Leprosorum ibi invenies. — Numerus leprosorum in illa civitate adhuc versantium ob eorum lucis fugam non censendus est; at non piscatores tantum, sed locupletiores quoque oppidi familiae morbo infestatae sunt. — Vitrollii, ubi eodem tempore VIII ad XII leprosi jam observabantur et plures mortui dolentur, in quatuor prae aliis familiis agricolis, opulentia fere oppidi primis, Lepra hereditaria dicitur atque Rognaci familia Vitrollio originem ducens inprimis morbo crudeli corripitur, qui exceptis infantibus omnes aetates, et mares et feminas

pari furore invadit et modo paucis, modo longa serie annorum certum iis parat sepulcrum. —

Lepram autem non ad stagnum Berrense tantum, sed in aliis etiam Provinciae partibus quandoque occurrere cl. D. Cauvière mihi asseruit, aegrotum anno praeterito in nosocomio curatum allegans, qui pagi Cassis inter Massiliam et Telonem Martium ad mare siti erat indigena. —

Telone Martio, quem V die Aprilis visitavi, D. Vaud, nosocomii civilis medicus, mihi narravit, se Lepram et Elephantiasin non raro in urbis vicinitate, nunquam in ipsa urbe observasse; — Fori Julii vero medicus senex, de febribus intermittentibus endemicis quondam perniciosis, portu limoso autem siccato benignis et rarioribus multa mihi referens, nunquam Lepram vidit. —

Nizzae in nosocomio Sti. Rochi elephantiacum inveni et cl. D. Bermondi mihi affirmavit, se plures tam hujus morbi quam Leprae tuberculosae observationes inter vicinitatis incolas collegisse, Lepram autem multo frequentiorem circa Allassionem obvenire et Napoleone imperante tali modo grassatam esse, ut novemdecim indigenis pagi exigui eodem tempore leprosis magister officiorum morbo occurrere jusserit. —

Sed iter accelerare coacto nec Allassione [58]) commorari nec Pignam et Castellum Francum [59]) adire mihi licuit, etsi teste Foderé in his Liguriae pagis viginti familiae initio saeculi nostri Leprae hereditariae obnoxiae fuêre omnique anno plures hoc morbo perierunt.—

Genuae autem D. Buongiardini Clavari [60]) Lepram familiarem esse mihi dicens ad aegros visitandos me excitavit. — Duos vidi leprosos illius oppidi indigenas

speciem tuberculosam exhibentes. — Contagiosus morbus habetur et ex Provincia per olearios importatus; ibique etiam observatione constat, Lepram esse hereditariam.—

Ultimum tandem morbo nostro infestum cl. D. Hildenbrand Papiae mihi ostendit; sed peregrinum, scilicet Graecum. (Obs. IV.)

Quibus praemissis satis mihi probatum videtur, Lepram Arabum non Martigii tantum et Vitrollii in istis partibus inveniri, sed in plurimis littoris regionibus quandoque occurrere, quibusdam autem in plagis, oppidis et vicis satis frequentem et vere endemicam esse. —

CAPITULUM SECUNDUM.

MORBI DESCRIPTIO.

Duae autem existunt mali hujus species pluribus quoad genus congruentes notis; variae autem, quibus se distinguunt, differentiae nosologicam hanc in sequenti ordine classificationem mihi admittere videntur:

GENUS: [61]) LEPRA ARABUM.

SYNONYMA.

Ἐλεφαντίασις, λεοντίασις, σατυρίασις Graecor: — Elephantiasis Celsi, Cael. Aurel. etc. — Dschossam, Dschyssam, Sala Arabum. — Lepra med. aev. — Elephantiasis Sauvages, Cullen. — Elephantiasis Graecorum sive Lepra Arabum nostratum. — Maltzey, Aussatz germanice. — Ladrerie, Lepre gallice. — Lepra, mal rojo hispanice. — Leprosy anglice. — Lepra italice. — Melaatsheid belgice. — Spedalskhed suecice et danice. — Boasi Surinamensium. — Mal rouge de Cayenne. —

SIGNA.

Prodromi varii systema nervosum spectantes, quandoque nulli. — Eruptiones in cute, faciei inprimis et extremitatum, colore lurido, aereo, e livido rubro cum partium affectarum ut plurimum anaesthesia seu sensu normali obtusiore. — Morbi incremento depilatio,

formae et figurae praesertim faciei corruptio; interna quoque laesa, vox rauca, halitus foetidus, respiratio difficilis aliaeque functiones vario modo perturbatae. — Ultimo exulceratio tam externorum quam interiorum; nasi, aurium, manuum et pedum mutilatio; — febris hectica, mors.

SPECIES PRIMA.
LEPRA ARABUM TUBERCULOSA.

Synonyma.

Nomina ad genus relata hanc inprimis speciem spectant: praeterea leguntur:

Lepra elephantia et leonina med. aevi. — Elephantiasis orientalis, legitima, leonina, Javanensis, Indica Sauvages. — Elephantiasis tuberculosa, Lepra tuberculosa nostratum. — Lepre tuberculeuse leonine Alibert. — Knolliger Aussatz, Lepre tuberculeuse etc. —

Signa.

Maculae in cute, primo plerumque faciei, serius etiam extremitatum aliarumque partium, luridae, (erdfahl) aereae (Broncefarbig) seu rubrae, modo sensu normali, modo anaesthesia praeditae, quibus tubercula cutanea eodem vel paulo obscuriore colore, ut plurimum nucleata exsurgunt. — Morbi incremento partium affectarum depilatio, tumores magnitudine et forma varii telae cellulosae subcutaneae; nasus, aures, supercilia, labia et cet. tumida, nodosa, deformia; cutis dura, aspera, rimis profundis perscissa; lingua, fauces, oculi albuginea aliaeque membranae mucosae granulationibns tuberculosis stipatae, vox rauca, respiratio difficilis et

cet. — Exulceratio tarda, lenta, in tuberculis tam externis, quam mucosarum incipiens, rarius cartilaginum devastatione artus mutilans, saepius nasum, aures aliasque faciei partes corrodens. — Enterophthisi lethalis. —

SPECIES SECUNDA.

LEPRA ARABUM ANAISTHETOS.

SYNONYMA.

Lepra alopecia med. aev. — Elephantiasis alopecia Sauvages. — Elephantiasis anaisthetos Robinson. — Lepra articulationum aliorum. —

SIGNA.

Maculae in cute, primo plerumque in artuum regione, serius in facie aliisque corporis partibus, luridae, quandoque lividae, solenni anaesthesia insignes, nulla tubercula sed levem tantum desquammationem exhibentes. — Morbi incremento non partium affectarum tantum, sed interdum totius corporis pili defluentes; tumores subcutanei nulli, nec tubercula in membranis mucosis. — Artus autem inprimis digitorum rigidi, contorti, raro dolentes ac tumidi; ungues deformes. — Nasus, aures, labia desquammatione fere inobservabili adtrita, deformia, macilenta et corrugata, nunquam tumida et nodosa; cutis arida, sed laevis, nullis rhagadibus perscissa. — Ob cartilaginum affectionem palpebrae ad extus versae, oculi rubentes et lacrimantes, vox rauca, halitus foetidus, respiratio difficilis et cet. — Exulceratio praeceps, in articulationibus incipiens, ad extra penetrans, cartilagines devastans, phalanges digitorum nec non majora membra separans, nasum corro-

dens, aegros miserrime mutilans. — Laryngophthisi et connexis seu febre hectica, artuum devastationem concomitante, lethalis. —

Qui in Willanii exemplum in exteriorem tantum morborum habitum animum vertit Lepramque cutis morbum vocat, classificationem meam quam maxime quidem rejiciet et primam speciem ad verba magistri inter tubercula, secundam Willanio ignotam inter maculas collocandam censebit. —

Qui autem in omnibus vitiis cutem foedantibus nil nisi cutem respicit, quam maxime mihi errare videtur et praeter reliquum symptomatum nimirum congruentium agmen quaedam alia argumenta mihi probant, Lepram tuberculosam et L. anaistheton ejusdem generis species existimandas esse; scilicet:

1) Lepra anaisthetos, tuberculosa multo rarior, in istis tantum regionibus, quibus haec familiaris est, invenitur. Omnes autores secundae nostrae speciei mentionem facientes primam quoque et multo frequentiorem viderunt. —

2) Utraque species in eadem familia Leprae hereditariae obnoxia jam saepius observabatur. — Ruscinonenses de viro quodam mihi dixerunt Leprae secunda specie mortuo, cujus mater tuberculosa perierat, similemque observationem D. Guès Massiliae mihi affirmavit. — Aliam cl. Schillingius in commentationibus suis de duobus fratribus refert [62]). —

3) Casus obveniunt inter tuberculosam et anaistheton medium tenentes. — In Lepra, quam observatione IX sub titulo ἀναισθήτου descripsi, quaedam tamen

tubercula in facie occurrebant et nonnunquam Leprae tuberculosae infesti dira artuum corruptione, secundae nostrae speciei familiari, mutilantur, uti juvenis, cujus historiam obs. VIII exhibet. —

Omnis specierum differentia essentialis in eo mihi consistere videtur, quod materia leprosa (venia sit verbis) in prima magis ad extra expulsa cutem, telam subcutaneam cutisque continuationem, membranas mucosas, prae aliis inficiat et tubercula tumoresque progignat; in secunda autem specie minus in cutem et magis in cartilagines versa, in illa loco tuberculorum maculas tantum provocet, has autem eo gravius corrumpat. —

Ast cum mihi in animo est observata tantummodo referre, ad propositum revertor, utramque Leprae Arabum speciem in quatuor stadia divisam accuratius delineare conans.

A. LEPRA ARABUM TUBERCULOSA.

a. Stadium primum s. prodromorum.

Autores adserunt, formicationis inter cutem carnesque sensum, anaesthesiam quarundam partium, animi imbecillitatem verumque idiotismum morbi nostri invasionem saepius praecedere, aliique horrores calores, interdum sub febris intermittentis specie, alternantes inter prodromos observasse dicunt. — Bis tantum hujusmodi symptomata mihi obvia notavi; in observatione secunda enim cruris sinistri anaesthesia, in observ. octava animi imbecillitas morbum antecesserat. — Saepius sub morbi exordiis aegri tardi sunt, morosi, otii et somni amantes et magno de languore conqueruntur. — Sed plurimos, quos vidi, absque omni prodromorum stadio Lepra invasit.

b. Stadium secundum s. eruptionis.

Primo plerumque in facie, in genis, superciliis et naso, raro prius in membris seu simul in utraque parte maculae [63]) erumpunt, sensim et in aliis regionibus, quandoque e totius corporis superficie emergentes, sed in ore et extremitatibus semper frequentiores, saepissime ibi tantumodo obviae. — Initio parvae, rotundae aut irregulares passimque sparsae in dies fines extendunt, inter se confluunt et nonnunquam omnem faciem aliasque cutis partes, prius variegatas, eodem pigmento tingunt. — Colorem in exordiis rubescentem vel livescentem gradatim lurido, aereo s. fusco plerumque mutantes, haud raro tamen conservantes, cutem nihilo vel paululo modo superant; sed omnis partis iis infestae tela subcutanea aliquantum tumere videtur. — Sensu normali interdum praeditae, saepius sensus decremento vel anaesthesia insignes haud raro nec tactum nec acus ictum percipiunt; quandoque autem de pruritu intollerabili maximaque cutis sensibilitate, quae ne tactum quidem sufferret, conquesti esse aegroti dicuntur. —

Incerto temporis interjecto spatio maculis tubercula cutanea [64]) passim exsurgunt, principio papularum instar exigua, sensim autem ad lentium, pisorum et imo cerasorum volumen adaucta. — Macularum colorem seu paulo obscuriorem exhibentia lurida et aerea in luridis et aereis, rubra, livida aut fusca in maculis his coloribus tinctis nascuntur. — Semper rotunda et quoad formam regularia, in superficie ut plurimum plana cutemque paulo superantia, interdum hemisphaerica et acutiora, nunquam autem vere acuta, modo singula, rara et tunc majora passim tantum obveniunt, modo fre-

quentiora, congregata, confluentia et tunc minora os universum et extremitatum dorsalem magis quam volarem faciem occupant. — Tactu duriora sunt, lardi duri ad instar, et plurima in centro nucleum quendam colore obscuriorem, fere nigrum et reliqua tuberculi materia densiorem, uti corneum ostendunt. — In superficie eorum epidermis haud raro leviter desquammatur et in cute nata cum cute sublevanda et movenda sunt. — Tuberculis ortis sensus plerumque redit, nonnunquam vero anaesthesia perseverat pruritumque noctu importunum semel observavi. —

Eruptionem tam macularum quam tuberculorum cum febri continua vel intermittente, apparatu gastrico, artuum dolore et cet. quandoque fieri, alii jam notaverunt: novum in exemplum autem aegrotus noster secundus veniat simulque doceat, non omnia tubercula uno impetu exsurgere, sed paulatim vel eruptionibus sese subsequentibus in cute apparere et prioribus jam stadium tertium vel quartum aggressis maculas adhuc et tubercula nova erumpere posse. —

c. Stadium tertium s. deformationis.

Tuberculorum copia in dies adaucta partium affectarum pili, superciliorum inprimis et barbae, sensim decidunt, rariores fiunt et omnino disparent. — Tela cellulosa subcutanea jam prius aliquantum tumescens, nunc in veram hypertrophiam delapsa crebris sedem praebet tumoribus [65]) a tuberculis cutaneis bene distinctis, qui sub cute nata cum ea non sublevantur, sed partibus subjacentibus adhaerentes nec tuberculorum formam regularem nec minutiem aemulantur. — Varia enim sunt figura; rotundi, ovales, plani, conglomme-

rati et cet. eorumque fines minus certi cum reliqua tela cellulosa confluere videntur. — A pisi et avellanae magnitudine ad pomi volumen et ultra variant atque tuberculis cutaneis molliores tam in locis his scatentibus iisque suppositi, quam sub cute eorum experte, sed ad tuberculorum exemplum faciem tamen et extremitates aliis corporis partibus praeferentes, observantur. — Praecipue in narium alis, in superciliis auriumque lobis, in genis et labiis isti tumores occurrunt; in extremitatibus contra interdum accidit, telae cellulosae hypertrophiâ tumorum singulorum loco durum formari quasi oedema.—

Cutis tuberculis jam aspera, dura et squalida tumoribus fit nodosa et iniqua, in eorum interstitiis rimis frequentibus et profundis perscissa; — facies inflata; nasus, labia et aures tument ac nodos et appendices monstrant varia figura et magnitudine, nares angustantur et superciliis protuberantibus oculi minores et quasi rotundi redduntur, aspectus torvus [66]). —

Praeter tumores figuram tali modo deformantes aliud hujus stadii symptoma aegros miseros plerumque affligit, tubercula scilicet in membranas mucosas propagata. — Vari colore margaritino - grisei, minimi in oculi albuginea exsurgunt, ophthalmiam excitant, in pannum confluunt visumque obscurant; — sternutatio frequens, coryza continua, epistaxis et olfactus privatio nares probant invasas; — lingua tuberculis aphtis simillimis scatens [67]) et rhagadibus sanguinolentis fissa gustum perdit; palatum et velum palatinum granulationibus exasperantur faucesque iis infestae vix deglutitionem permittunt; vox rauca fit, respiratio difficilis, tussicula sicca et fatigans excitatur, alvus modo tarda et constipata, modo soluta est et imo dyssenterica. —

Rarioribus in casibus (Ex. gr. Obs. VIII) una cum signis hujus stadii enarratis omnia artuum mala, quae in alterius speciei descriptione ad stadium tertium referam, occurrunt et semel tantum unguium deformitatem, de qua ibidem disseram, in L. tuberculosae infesto (Obs. IV) notavi.

d. Stadium quartum s. exulcerationis.

Hoc morbi nostri stadium extremum in specie tuberculosa plerumque multos per annos tardatur, jam prius quidem tuberculis et tumoribus singulis nonnunquam fusis, exulceratione autem universali tam externorum quam interiorum admodum rara et lento gradu accedente. Ad hujusmodi simultaneae corruptionis incipientis exemplum primus aegrorum descriptorum subvenire mihi videtur atque omnium tuberculorum et tumorum externorum exulceratio cum nasi, aurium, labii superioris omnisque faciei devastatione nefanda in sartore illo Montepessulano, tuberculis internis carente, mihi obviam venit, cujus historiam haud notasse quam maxime me poenitet: ut plurimum vero accidit, tubercula membranarum mucosarum prius externis in ulcera transmutata lethalia reddi, antequam externorum corrosio gravis evenerit, quod, uti cadaverum sectiones demonstrant, de tractus intestinalis tuberculis inprimis intelligendum est. —

Quas omnes varietates una imagine, extremum gravissimumque Leprae tuberculosae stadium sistente, complecti conor. —

Tubercula cutanea cum levi quandoque circumferentiae rubore sed absque dolore exulcerata crustis obscuris, fuscis, nigris, cutis tenacibus partes obtegunt;

tumores subcutanei in saniem soluti, fluctuantes cutem perforant, ulcera magna, sordida, graveolentia, rubore livido cincta, indolentia, ichor flavescens, tenue, foetidum fundentia pariunt. — Carnes defluunt, nasus, aures, labia corruptione ulcerosa corrosa decidunt [68]), membra crustis et ulceribus obtecta marcescunt, rarius exulceratione externa ad intus penetrante mutilantur. — Cicatrices quandoque passim formatae iniquae sunt, striatae, cute albidiores, plerumque profundiores et valde deformantes. — Membranarum mucosarum tubercula fusa in ulcera transmutantur. — Oculi cornea perforatur; ozoena graveolens partes contiguas exedit; lingua, fauces, palatum et ceter: exulcerata saniem edunt et sanguinem; halitus foetet, vox suffocatur, respirationis difficultas augetur, tussis gravior et humida sputa exhibet purulenta: intestinorum tormina obveniunt; alvus continue soluta, sedes frequentes, sanguinolentae, purulentae aegrum usque ad extremum fatigant, qui marcens, immobilis et exhaustus omnibus febris hecticae symptomatibus correptus vita tandem decedit. —

Articulationibus priore jam stadio corruptis morbus stadium quartum plerumque prius aggreditur et in artuum cartilaginibus nata exulceratione membra mutilat, uti de secunda specie enarrabo. —

B. LEPRA ARABUM ANAISTHETOS.

a. Stadium primum s. prodromorum.

Omnia, quae de Leprae tuberculosae prodromis sunt exposita, valent quoque de secunda nostra specie.—

b. Stadium secundum s. eruptionis.

Maculae in Lepra tuberculosa nascentibus similes,

luridae vel livescentes, figura et amplitudine variae, primo exiguae et paucae, dein magnae, plures et confluentes in hac quoque specie, sed primo ut plurimum in extremitatibus et artuum regiones quidem membrorum continuitati praeferentes, postea in facie etiam aliisque corporis partibus erumpunt. — Solenni sensus privatione insignes nec tactum, nec acum, nec ignem percipiunt et anaesthesiam per omnia morbi stadia conservant. — Tumor levis et durities quaedam telae cellulosae iis subjacentis, sicut in primae, in secundae quoque speciei exordiis obveniunt, sed nunquam tubercula exsurgunt (nisi in casibus raris et medium inter utramque speciem tenentibus exigua et paucissima). — Loco tuberculorum maculae superficiei levem desquammationem furfuraceam exhibent, quam nunquam in Leprae tuberculosae maculis animadverti, etiamsi negare nolo, eam in istis etiam accidere. —

c. Stadium tertium s. deformationis.

Quamvis illa, de qua nunc sermo est, species hucusque excepta tuberculorum absentia vix a priori sit distinquenda; in hoc tamen stadio multa utramque discernentia occurrunt momenta. — Pili quidem hic etiam praemoriuntur et non in maculis infestis tantum, sed saepius in aliis quoque partibus; supercilia, barba, capilli et pubes rarefiunt et defluunt: at nec tumores subcutanei, nec tubercula in membranis mucosis nascuntur, neque facies tumet, neque cutis nodis et eminentiis foedatur: alium corruptionis modum Lepra anaisthetos persequitur. — Primo plerumque artus afficiuntur, digitorum inprimis tam pedum quam manuum; — nonnunquam tumentes, saepius sine magno tumore et

absque omni dolore rigidi redduntur, immobiles et vario modo distorti; — digiti enim non ad intus tantum flexi, sed ad faciem lateralem quoque curvati contrahuntur et in casibus gravioribus praeter digitos alias etiam et majores articulationes eadem invadit corruptio. — Eodem tempore cutis artus obtegens et prius jam maculis obnoxia squallida redditur, arida, dura et squammosa, epidermis volae manus plantaeque pedis crassa, sicca rimisque perfissa et ungues normalibus multo longiores et ad nimirum curvati ad duplicem et triplicem suam crassitiem augentur, pluribus quasi laminis compositi. —

Sed non in extremitates tantum morbus saevit. — Maculis faciem occupantibus leviter sed continue desquammatis partes occupatae (scilicet nasus praesertim, supercilia et labia) marcescunt et sensim sensimque graciliores, in marginibus acutiores et minores redduntur, desquammatione quasi contritae. — Cartilaginibus autem sicut in artubus in aliis quoque partibus correptis nasus distorquetur et angustatur, aures corrugantur varia deformitate, palpebrae ad extus versae oculos lacrimantes et rubentes tegere nequeunt, vox rauca fit et respiratio difficilis cum tussi siccà et fatigante.

d. Stadium quartum s. exulcerationis. —

Exulcerationem magis praecipitem in hac quam in priore Leprae specie observari, jam diximus. — Sub exordiis partialis quidem et in una alterave articulatione incipiens ad tempus plures pluresque aggreditur et praeter artus alias quoque partes devastat. — Cutis articulationibus vicina, maculis sordida sensuque privata absque magno tumore vel dolore variis in locis fluc-

tuare incipit, brevi perforata saniem fundit tenuem et graveolentem variaque ulcera vel potius fistularum ostia nullo vel levi tantum rubore cincta exhibet. — Accuratius explorata haec digitorum, manus, pedis et cet: ulcera haud in Lepra tuberculosa occurrentium instar inveniuntur, sed usque in artus specillum penetrat et probat, devastationem in eorum cartilaginibus ortam foras serpsisse omniaque subjacentia jam perdidisse, antequam cutem perrumperet. — Parum ichoris defluit ulcusque in uno loco sanatum in alio aperitur, donec cartilagine penitus corrosa aut omnis artus separatur aut ejusdem ossa per fistularum ostia expelluntur, cartilaginum tantum devastatione sejuncta, ipsa integra. — Phalanges digitorum prae aliis, ossa metacarpi et metatarsi tali modo pereunt digitique ossibus privati, partes molles autem et ungues deformes plerumque conservantes mirum ad modum deturpantur: in casibus gravioribus vero majores quoque articulationes affici et tota membra sejungi dicuntur. — Saepius aliarum quoque partium cartilagines paulo post artus exulcerantur; — nasus, aures et palpebrae corroduntur et decidunt, vox exstinguitur, halitus foetet et in tussis vehementis et purulentae paroxysmis suffocatio imminet. — Tali modo miseri aegri, mutili, ulceribus obsessi, marcescentes, febri suppuratoria exhausti et phthisici moriuntur.

Satyriasin, quam plures inter morbi nostri signa referunt, in neutra specierum observavi, e contrario aegrotum vidi (Obs. I), qui sub circulo aequinoctiali 17 jam annos natus omnibus pubertatis indiciis adhuc

carebat. — Nec odor ille particularis, hircinus uti dicunt, nec lotii albedo et crassities, quas Aretaeus jam memorat, unquam mihi obviam venerunt. —

Utraque nostra species omnem sexum omnesque aetates, nisi infantili excepta, invadit; plures tamen vidi mares Leprae infestos, quam feminas et ut plurimum pubertatis circa annos seu paulo post ea exoriri videtur, etsi feminam vidi anno aetatis septuagesimo tertio correptam. — (Obs. V.)

Utraque etiam decursum chronicum per longam annorum seriem durantem persequitur et si Lepra anaisthetos stadium extremum prius quam tuberculosa ingreditur, id in illa nostra specie secunda in longius protrahitur, artuum devastatione lentius quam Enterophthisi necante. —

Cadaver morbo nostro defuncti nunquam dissecui: sed cl. D. Biett, qui quinque Lepra tuberculosa mortuorum corpora cultro anatomico exploranda curavit, observata nos docuit et quae ex verbis viri tam insignis notavi huc referre mihi liceat [69]):

«Cutis lurido, aereo seu fusco colore variis in locis «tincta, tuberculis et tumoribus aspera, atque non«nunquam crustis nec non ulceribus ex tuberculorum «inflammatione et fusione natis, modo superficialibus, «modo profundis passim occupata et devastata erat.— «Cultro incisae ejus laminae superficiales modo te«nuiores velut membrana scriptoria, modo una «cum membrana vasculari tumentes et volumi«ne multo adauctae reperiebantur. — Tela cellulosa «subcutanea tumida, durior et plerumque pallida erat; «nonnunquam autem vasorum injectione rubra et pas«sim exulcerata. — Tubercula partim in ipsa cute

«partim in tela cellulosa nata esse videbantur.» (Tubercula cutanea nostra et tumores subcutanei.)

«Cornea flaccida, tenuis, aliquoties ulceribus «perforata, iris vario modo alterata, lingua et fauces «tuberculis in apice exulceratis stipatae inventae sunt, «et in quibusdam mucosa laryngis normali crassior, «tuberculosa et exulcerata obvenit; pharynx et oeso«phagus granulationibus exasperati. — Ventriculus «plerumque sanus erat, in omnibus autem cadaveri«bus dissectis glandulae Peyerii tumebant et tam in «iis, quam in reliqua tractus intestinalis mucosa tu«bercula, ulcera veraeque nonnunquam cicatrices oc«currebant cum tumore glandularum meseraicarum. — «Bis tubercula pulmonum inventa sunt, ossium autem «spongiositatem, mollitiem et medullae defectum, «quae DD. Alibert et Ruette observasse dicunt, cl. «Biett nunquam vidit.»—

An cadaver Lepra Arabum *αναισθήτῳ* mortui unquam dissectum fuerit, ignoro. —

CAPITULUM TERTIUM.

DE DIAGNOSI QUAEDAM.

Lepram Arabum ad stadium tertium aut quartum jam provectam nullus sane medicus, qui quidquam de ea legerit aut semel tantum ejus exemplum viderit, alium putabit morbum; nullus enim morborum corpus humanum tam diro et foedo turpare signaculo, nullus carnibus nostris tam lente et saeve pasci, nec ullus tam contumaciter omnia remedia omnemque sanationis spem frustrari solet. -- Sed sub morbi exordiis diagnosin haud tam facilem esse et medicos haud raro erravisse inter alia observationes prima et tertia probare possunt. — Quas igitur differentias inter Lepram Arabum aliosque morbos, illius speciem aemulantes, observasse credo, hic paucis verbis exponam. —

Maculae sub initiis utriusque nostrae speciei erumpentes Ephelidibus hepaticis (Pityriasi versicolori al:) haud dissimiles sunt, sed Ephelides istae nunquam fere in facie, Leprae ut plurimum obnoxia, saepius in trunci cute oriuntur, plerumque alio, magis flavescente, colore tinctae sunt et anaesthesia Leprae maculis familiari, in Ephelidibus autem nunquam observata, facile distinguuntur. —

Majorem erroris ansam tubercula cutanea praebent, quae in Acnes variis speciebus, in lue venerea, in scrophulosa illa degeneratione, quam Lupum vocant, et in Mollusco sicut in Lepra tuberculosa occurrunt. —

Sed in Acne simplice et indurata, Gutta rosacea et Mentagra maculae leprosae nunquam obveniunt, sed pustulae primo erumpunt, quibus in crustas leves, laminosas et flavescentes exsiccatis tubercula resident rubra, nitida, acutiora et minus in cutem depressa, nunquam lurida, aerea, livida et nucleata uti in Lepra. — Praeterea Mentagra et Gutta rosacea certas faciei partes tantum afficiunt et aliae species variis corporis regionibus infestae tubercula singula tantum, sparsa et leprosis tam colore quam forma dissimilia exhibent. — In nulla vero Acnes specie pili defluunt, tumores subcutanei nascuntur, membranae mucosae aegrotant, in nulla forma et figura corrumpitur. —

Tubercula syphilitica modo singula, modo congregata in variis corporis partibus inprimis autem in facie ad nasum et frontem et in dorso erumpunt. — Colore cuprum aemulante, cum lurido, aereo etc. Leprae quam maxime discrepante, insignia, tuberculis leprosis acutiora, molliora, nunquam nucleo corneo praedita formam, si congregata obveniunt, circularem adamant et plerumque brevi exulcerata crustis crassis, virescentibus, fuscis s. nigris obteguntur. — Ulcera ex iis nata omnia syphiliticorum indicia ostendunt et plerumque rotunda rubore cupreo cinguntur. — Pilis ut plurimum illaesis nec tumores subcutanei, nec cutis tam sicca, aspera et rhagadibus fissa, nec vultus, etsi crustis obtectus, tam deformis et horribilis, nec mucosarum tubercula inveniuntur, aliis contra luis venereae symptomatibus, Leprae alienis, primaria scilicet genitalium affectione, faucium ulceribus sui generis, doloribus osteocopis, iritide syphilitica etc. diagnosin ut plurimum adjuvantibus. —

Molluscum, morbus admodum rarus, nonnisi semel mihi obvius, in variis corporis regionibus eminentias varia magnitudine, plerumque cutis colore, molles, indolentes et forma verrucis similes vel pedunculatas sistit, quae lento suo progressu nec foedam faciei totiusque corporis depravationem, nec periculosa symptomata, Leprae Arabum familiaria, parant —

Lupus tuberculosus vel Herpes rodens al:, inprimis varietas Gallis Dartre rongeante avec hypertrophie nuncupata, inter omnes forsan morbos hucusque enumeratos Leprae Arab. tuberculosae speciem maxime aemulatur; — in illo enim tubercula cutanea quoque nascuntur, nasum, labia et aures corrodentia et in varietate laudata tumor subcutaneus occurrit. — Sed Lupus ut plurimum nil nisi faciem et plerumque ne totam faciem quidem, sed nasum tantum, labium superius aut aures etc. occupat; — Lepra e contrario brevi plerumque plures corporis partes offendit: Lupi tubercula leprosis ut plurimum minora, rariora et molliora, nunquam nucleata, lurida, aerea seu fusca, sed rosea plerumque, rarius violaceo colore tincta, multo prius exulcerantur, quam in morbo nostro accidere solet, quae exulcerationes, omnibus ulcerum scrophulosorum indiciis insignes, crustis obteguntur colore clarioribus, badiis, flavescentibus et imo albidis. — Tumor subcutaneus tandem, in una Lupi varietate modo obvius, nonnunquam quidem maximus, nunquam vero nodosus, varia tubera et appendices, uti in Lepra, exhibens, sed laevis et uniformis videtur. —

Nodi et tubera in Lepra tuberculosa sub cute nata cum aliis quidem tumoribus subcutaneis, cum cisticis scilicet et melanoticis, cum scirrhi, fungi medullaris

et haematodis initiis confundenda essent, sed raro tanta tumorum copia in alio morbo, quanta in nostro occurrit et symptomata reliqua, inprimis tubercula cutanea in Lepra tuberculosa nunquam desiderata, in nullo languorum enumeratorum obvia, omnem errorem impediunt. —

Majore affinitate Elephantiasis (Arabum) morbum nostrum attingit, qui tumor cruris vel scroti leprosus — nam haud omne crus ad duplex volumen adauctum Elephantiasin voco — nec tuberculis cutaneis nec tumore nodoso subcutaneo carens, cutem duram, asperam, crassam, rhagadibus perscissam exhibens et iisdem terrae regionibus endemicus, fere nil nisi Lepra tuberculosa localis mihi videtur. — Sed quod localis sit, ejus distinctionem de vera et universali Lepra Arabum tuberculosa facillimam reddit. —

Linquae, faucium aliarumque membranarum mucosarum ulcera tandem leprosa ab harum partium affectionibus syphiliticis, scrophulosis seu cujusvis indolis tam formatione sua ex tuberculis albidis vel griseis, minimis et ut plurimum indolentibus, quam reliquo agmine symptomatum ea comitantium separantur: quae de primae nostrae speciei diagnosi sufficiant. —

Lepram Arabum anaistheton autem vix cum alio morbo confundendam censeo, artuum aliarumque cartilaginum corruptione tam conspicua et particulari observata. — Lupi varietas quidem, quae ob tuberculorum defectum levis appellari possit, nonnunquam occurrit, qua ad Leprae maculosae exemplum cum levi et contiuua epidermidis desquammatione nasus et contigua marcescunt et quasi conteruntur, sed nunquam partes affectae luridae vel lividae, uti in Lepra, sed ut

plurimum roseae et desquammatione albescentes videntur, pili haud decidunt et artus illaesi sunt. — Membra autem, etsi plurimis morbis tam artuum quam ossium obnoxia, nulla tamen, quod sciam, aegritudine corripiuntur, quae cutem maculis omni sensu privatis foedans partes depilet et unques deformet, prae aliis autem cartilaginibus infesta, cum simultanea faciei corrosione artus distortos exulcerans ossa integra separet et Leprae tamen Arabum ἀναισθήτῳ diversa sit. —

CAPITULUM QUARTUM.

DE AETIOLOGIA QUAEDAM.

Fines instituti longe excederet disquisitio de nostri mali causis in genere; quare de iis solummodo disseram, quae in littore mediterranei producendae huic aegritudini favere dicuntur aut videntur, nisus solae experientiae parente observatione. Nihil igitur de Leprae origine ex aquae Nili potu, ex carne porcina comesta, seu ex veneris nimio usu, nec de ceteris erroribus in quorundam autorum libellis vel inter coloniarum indigenas obviis, regioni autem peragratae alienis dicam, nec opinionem, observatione jum dudum refutatam redarguere conabor, Lepram luis venereae esse filiam degeneratam. —

Martigii, ut dictum est, morbus e Turcia importatus, hereditarius, sed non contagiosus existimatur et Vitrollii, Rognaci aliorumque Provinciae pagorum incolae, Martigio eum accepisse contendunt. — Clavari contagiosus et hereditarius creditur, per olearios e Provincia reduces illatus. — Ruscinonenses et Catalani autem hereditarium et contagiosum eum putant, sed nec de importatione, nec de morbi sua sponte nascentis causis loquuntur. — Medici ut plurimum regionis, qua artem exercent, opinionem popularem adoptantes, omnes Lepram hereditariam censent, sed de contagio sic dissentiunt, ut Parisienses, Massilienses et Montepessu-

lani (clarissimi inprimis DD. Delpech, Biett, Cauviere, Lautard etc.) contagionem negent, ceteri affirment. — Nonnulli tandem medici Massilienses et Parisienses, in Lepram Martigiensem modo animos vertentes, Lepram ibi importatam esse asseverant: alii autem eorum ex Oriente, alii ex insulis Antillis eam illatam esse referunt, in eo tamen fere omnes congruentes, quod, etsi importata, nunquam contagio, sed nonnisi hereditate propagetur.—

Tres igitur quaestiones prae aliis mihi in medio ponendae sunt:

1) An Lepra hereditaria sit? —

2) An contagiosa? —

3) An mediterraneo littori exotica et ibi importata? —

Quoad primam non est, cur dubitem, quin Lepra Arabum saepius a parentibus in filios hereditate transfundatur. — De matre et filio eodem morbo, si specie quoque diversa, in Ruscinone mortuis, de familiis Martigii, Vitrollii, Rognaci etc. Leprae hereditariae obnoxiis jam prius locutus sum, quibus hic modo subjungendum censeo, quasdam — sed non omnes, quae Vitrollii leprosae reputatae sint — familias Martigio originem ducere, uti Rognacensis ista aliis leprosis Vitrollii indigenis affinis est. —

Morbum tam a patre quam a matre hereditate prodi, exempla me docuerunt et Dom. Guès mihi retulit, G * * * d, agricolam Rognacensem et leprosae Vitrollii degentis fratrem, ipsum vero vocis tantum exstinctioni suspectae obnoxium brevi interjecto tempore filium Lepra correptum, mortem voluntariam sibi consciscentem, et filiam morbo nostro mortuam doluisse: quod probare videtur, ad morbum hereditate propagandum non semper

parentum Lepram confirmatam necessariam esse, sed affectionem quoque levioris sed leprosae tamen indolis — talem enim vocis exstinctionem istius G***d putant — seu priorum consanguineorum infectionem ex patruae Lepra forsan deducendam nonnunquam sufficere. — Licet hereditaria autem, Lepra nunquam in neonatis vel infantibus, sed ut plurimum inter pubertatis aetatem et annum vitae trigesimum exoritur; nec omnem familiarum infestarum progeniem invadit: plures ex leprosis natos vidi sanitate illaesa gaudentes. Nec omnis Lepra in mediterranei littore obvia hereditate transfusa est, quòd observationes annexae satis probabunt, Leprae in ista regione natae plura exempla, nec ullum hereditariae referentes. —

Quoad secundam quaestionem autem non me fugit, morbum nostrum inter antiquos et medii aevi scriptores quam maxime contagiosum reputatum esse et hucusque plerumque existimari, nec historiae de Lepra per coitum, oscula seu contactum transmissa mihi ignotae sunt. — Sed licet Ruscinonenses et Clavari incolae eam contagiosam putent, nullus tamen aegrorum contagionem incusavit, nec ullus indigenarum exemplum morbi contagio nati mihi enarrare potuit. — Maritum vidi cum muliere leprosa (Obs. VI) eodem lecto plures per annos sanitate illaesa usum plurumque infantum patrem; et ubicunque similes observationes mihi relatae sunt; — nullus aegros curantium, nullus in eadem domo, in eodem conclavi cum iis habitantium eademque supellectile utentium unquam eodem morbo invasus est, nisi consanguinei hereditate ei obnoxii. —

Ipse contagium haud dubitans hujus materiae disquisitionem suscepi, sed contagionis ne vestigia quidem,

ubicunque contrarii documenta inveni et oculis meis magis quam aliorum enarrationibus mediique aevi fabulis fidere solitus brevi opinionem priorem deposui. — Negare igitur Leprae Arabum contagium mihi liceat, quoad aliae observationes contrarium me doceant. —

Quibus bene perpensis tertia quaestionum propositarum facile resolvenda erit. — Morbus enim exoticus et importatus haud alio modo propagari potest, nisi contagio seu hereditate, et si leprosi cujusdam regionis indigeni patriaeque finibus nunquam egressi obveniunt, quibus morbus nec contagio nec hereditate transmittebatur, Lepra istius regionis indigena censenda est: quod igitur tam prioribus, quam observationibus annexis de Lepra Arabum in mediterranei littore obvia probavisse opinor. — Negare quidem nolo, nautas in hoc littore natos nonnunquam in aliis terrae partibus morbo nostro magis obnoxiis ejus cymam collegisse et in patriam reduces hereditate propagasse; sed non nautae modo et eorum progenies, sed agricolae etiam aliaeque familiae nulli nautae affines morbo corripiuntur et Martigium piscatorum et nautarum oppidum non solum Leprae infestum est, sed pagi quoque Ruscinonenses, quorum omnes indigenae agrum colunt, omneque fere littus peragratum morbi nostri exempla exhibet. — In aliis autem Europae finibus maritimis, qui copiam nautarum non minorem progignunt, in Angliae exempl. gr., Germaniae Galliaeque reliquae littoribus Lepra Arabum rarissime et in hominibus modo diutius in plagis huic morbo obnoxiis commoratis obvenit, nec unquam — quod memoratu satis dignum mihi videtur — Leprae in istis regionibus, etsi importatae, hereditate proditae legi exemplum [70]). — Aliud tandem argumen-

tum ad Lepram littoris mediterranei indigenam et Leprae medii aevi quasi filiam probandam ex misellario forsan ducendum est, Martigii usque in medium saeculum XVIII novemdecim in Europa millibus pene solo superstite. —

Cum Lepra Arabum in mediterranei littore indigena nec contagiosa nec semper hereditate transfusa sit, sed saepius homines e parentibus sanis natos aggrediatur, originis quasi spontaneae causas investigare novo mihi negotio esset. — Sed ex aegris frustra lucem quaesivi; nullus eorum enim, quotquot interrogavi, morbi sui causas referre potuit, duabus feminis exceptis, utrisque lapsum accusantibus, tam diri eventus causam sane exiguam et haud probabilem. — Quae autem comparatis et hominum et locorum, quae Lepra infestantur, conditionibus observatione de hac re docemur, tam parca sunt atque incerta, ut ne hac quidem in sententia aquiescere possim, licet ex inopia solidioris doctrinae et meam publico submittere examini ausus sim. —

Si tabulam geographicam, quam adjeci, quoad situm oppidorum et pagorum prius laudatorum respicimus, omnes fere populationes Leprae Arabum infestas in maris finibus, plurimas autem ad stagna, quae mediterraneum in littore alit, Berrense scilicet et Leucatense inveaimus: pagi autem et oppida a mari magis distantia, uti Pigna exempl. gr., Castellum Francum et Insulae in vallibus profundis e maris regione apertis, e ceteris clausis sita sunt. — In regionibus altioribus autem, in Provinciae et Occitaniae partibus interioribus et superioribus, in Francoli ripa dextra, magis mon-

tuosa quam sinistra, in Liguriae montibus Lepra haud invenitur. —

Sed alii quoque morbi provinciis istis familiares montes fugiunt et in vallibus et littore modo obveniunt, situm humilem adamantes et mare vicinum. — Prae aliis febres intermittentes hic memorandae sunt, quae in totius pene littoris tractu et in quibusdam vallibus endemicae, in locis a mari remotis et altioribus rarae seu nunquam videntur [71]). Littus enim mediterranei, quod Galliae et Cataloniae fines attinet, planum, humile et quam maxime sinuosum ubique fere stagna salsa et paludes exhibet, quorum noxiis effluviis febres istae nascuntur; in Liguriae autem finibus Alpes maritimae et Apennini juga ad mare descendunt et littus montuosum est, sed multis vallibus profundis et angustis ubique perscissum, quae rivos et flumina in mare ducunt et plurimis istius plagae oppidis et pagis sedem praebent. — Ista flumina autem aestatis colore exsiccata aut exempl. gr. in Nerviae valle irrigationis causa paludibus artificialibus transmutata, uti stagna littoris gallici et hispanici febres progignunt intermittentes. —

Locis autem Leprae obnoxiis et iis, quibus febres familiares sunt, comparatis Lepram nusquam obviam videmus, nisi in regionibus febribus quoque infestis et ad sententiam igitur conducimur, causam febrium intermittentium, scilicet exhalationes aquarum stagnantium et corporum organicorum putrescentium, ad Lepram Arabum generandam magni quoque esse momenti; quae opinio eo magis probatur, dum loca singula inter se comparantes Lepram in populationibus istis effluviis magis expositis frequentiorem, in oppidis autem miasmati paludoso minus obnoxiis rariorem observamus. —

Martigii enim, quod oppidum partim in littore, partim in insula stagni Berrensis situm est, in pagis Vitrollio et Rognaco eidem paludi vicinis, in vicis St. Laurent, Ste. Marie etc. juxta stagnum Leucatense positis, in campi Tarragonensis parte humili et paludosa et in vallibus angustis et profundis, quae Pignam et Castellum Francum, Allassionem et Clavarum cingunt, Lepra Arabum multo frequentior est, quam in pagis Teloni Martio et Nizzae vicinis in maris finibus sitis et in urbibus Massiliensi et Montepessulana utraque febribus intermittentibus in circuitu familiaribus rarius obnoxia. —

Plures quidem regiones in tabula annexa intermittentium colore tinctas sine Leprae nota invenies; sed nec omnes littoris plagas peragravi omnesque leprosos ibi degentes vidi, nec contendere conatus sum, morbum nostrum in omnibus regionibus febri intermittenti obnoxiis obvenire; Lepram enim nec solis effluviis paludosis et adjuvantium expertibus, nec brevi et momentanea eorum in corpus sanum actione febrium instar produci posse, sed ex vario confluxu causarum, inter quos miasma paludosum, sed perdiu in corpus agens, maximi sit momenti, nasci opinor: — nam si miasmatis vis infausta brevi tempore Lepram producere posset, hospites etiam uti febribus Lepra corripi deberent; observatio vero docet, indigenas modo leprosos fieri aut exteros per annos ibi commoratos (Obs. IX): ac si una causa, effluvium paludosum scilicet, ad Lepram generandam sufficeret, haud intelligi posset, cur morbus noster non in omnibus regionibus paludosis obveniat et in ipso maris mediterranei littore multo rarius observetur, quam febres intermittentes et eorum sequelae, quam Scrophulae aliique morbi [72]).

Quae alia momenta autem, miasma adjuvantia, in Lepram generandam confluant; quorum connubium necesse sit, ut Lepra Arabum et nec Scrophulae, nec Scorbutus nec alii morbi nascantur, nescire fateor. — Istius regionis coelum quidem miasmatis actionem aliquantum adjuvare videtur: sole enim ferventiore stagna, paludes et flumina pluvio raro intercurrente prius exsiccantur omniumque putredo acceleratur; venti ut plurimum maritimi effluvia pestifera ad populationes affines ferunt noctesque diebus multo frigidiores aliaeque temporum vicissitudines ob mare vicinum ventorumque intemperiem frequentes corpora miasmati magis obnoxia reddunt, quae omnia vero in toto littore obvia majoris momenti ad intermittentium quam ad Leprae genesin videntur et nullam rationem reddunt, cur quaedam modo plagae, nonnulli modo incolarum Leprae infesti sint. —

Sexum et aetatem, licet morbus infantibus parcat, non magni esse momenti, jam prius notavi, hominesque varii quaestus et negotii, urbium et ruris incolae, divites et pauperes nullo discrimine corripiuntur. — Nec quandam corporis constitutionem magis ceteris ei expositam censeo, nec habitum leprosum ad scrophulosi, phthisici etc. exemplum vidi. —

An quaedam victus ratio Leprae origini faveat, in medio relinquo. — Alios enim cibos in locupletioris mensa, alios in pauperis casa invenies; omnes vero littoris incolae magis piscibus, leguminosis et fructibus, quam carne vescuntur, allium et cepas amant, condimentis acribus et oleo olivarum omnia fercula condiunt et pane ut plurimum triticeo vinoque forti utuntur. — Caro porcina autem et pisces salsi, quos nonnulli au-

tores Leprae causam putabant, rarius quam in aliis regionibus Leprae haud infestis comeduntur. — De aqua fontium et puteorum nusquam examinata disserere nequeo et nisi puteos fontibus multo freqnentiores esse, nil observavi. — Nec vestimenta accusare possum, nec domicilia, saepius quidem mala, humida et sordida; — domus enim divitum his mentis carent. — Sed animi affectus inter causas occasionales referendos censeo: indigenae enim mihi dixerunt, pluries jam observatum esse, quod homines diu in moestitia versati aut terrore quodam perculsi Lepra corriperentur et feminarum exempla, quas brevi post lapsum morbus invasit, hic forsan subveniunt. — Sed occasionalem tantum hanc causam existimo, morbum in corpore jam latentem foras provocantem, nunquam Lepram progignentem. —

Quodsi, quae de Lepra Arabum origine in medium attuli, lectori benevolo non satisfecerint, non obliviscatur, velim, totum nostrum, quod de morborum causis et natura construximus, aedificium adhuc imperfectum, praesertim autem doctrinam de dyscrasiis densis adhuc involutam esse tenebris. —

CAPITULUM QUINTUM.

DE CURA QUAEDAM.

Graeci in morbi nostri medelam praeter carnem viperarum et Theriacam quasi specifica venaesectionem praeparatoriam, purgationes et vomitiva primo, tum attenuantia et illitiones partim emollientes partim detersivas collaudant et Archigenes castrationem quam maxime praedicat. — Nec meliora nos edocent Arabes mediique aevi scriptores usque ad Paracelsi tempora eandem fere methodum adhibentes et omnes in eo congruentes, quod Lepra confirmata fere nunquam sanetur. — Quid autem oleum de realgare, aurum potabile, tereniabis et cetera a Theophrasto laudata sint, inquirere praesentis instituti non est. —

Medici recentiores varia quidem remedia, saepius quasi specifica, ad Lepram sanandam proponunt et alius thermis ferruginosis vel sulphureis, alius cucumerum esu, tertius antimonio, quartus sola diaeta etc. morbum nostrum profugasse contendit, quibus omnibus autem ab aliis administratis experientia tesseram suam negat et probare videtur, medicos remedia ista laudantes non veram Lepram Arabum curasse. — An Asclepias gigantea, ab Anglis in India artem exercentibus praedicata, melioris sit effectus, dubitare mihi liceat. —

Quae omnia autem nec artem nostram, nec singulos medicos incusent. — Sub morbi enim exordiis aegri nullo dolore vexati nec valde deturpati raro auxilium petunt et medici etiamsi ab initio accersiti morbum in Europae maxima parte tam rarum saepius in primis notis haud agnoscentes ex remediis inefficacibus salutem quaerunt; omnibus autem corporis systematibus Lepra inveterata corruptis nullam sanationis spem affulgere, minus artem impotentem quam morbum dirum et gravem probare mihi videtur: ac si incolae littoris peragrati eum omnino insanabilem existimant atque leprosi lucem medicosque fugiunt, eorum magis quam medicorum culpa est, quod omne leprosi sanati exemplum desideretur: nam observatione tantum et experientia morbis mederi discimus. —

Artem in primis Leprae stadiis nec non in posterioribus, si membranae mucosae illaesae sint, non omnis efficaciae expertem esse, nonnullae observationes (exempl. gr. secunda et nona relatarum) me docuerunt, et licet nunquam morbum nostrum sanari viderim, in ejusdem tamen initio de medela non desperandum censeo. — Remediis autem confidere nollem, quae velut balnea, unquenta et linimenta varia, vesicantia et alia cutem solam respiciunt et nullum quidem periculum sed nullum etiam auxilium afferre possunt; nam similibus minutiis tempus utile insumere non inutile tantum, sed nociferum quoque existimo. — Lepra in cute eflorescens non cutis morbus est, sed ex radice profundiore, nobis, quod sane dolendum, ignota, nata in cute tantum signacula sua profert, in luis venereae, Scrophularum aliarumque aegritudinum exemplum, et sicut in his morbis haud symptoma in cute obvium modo cu-

randum, sed tota corporis compages alteranda est, in Lepra quoque nova conditio ei inferatur. — Talem autem mutationem non medicamentis sic dictis innocentibus, sed vehementissimis tantum et quae venena dicunt effici, omnibus sane notum est. — Tria prae aliis exstant, quibus nonnihil confidendum censeo: Mercurius scilicet, Jodum et Arsenicum. — De auro muriatico enim, argento nitrico, baryta muriatica et aliis remediis, quae morbis Leprae similibus interdum medentur, pene omnes observationes in morbi nostri historia desiderantur. —

Mercurius, quem nunquam ipse leproso administrari vidi, tam per os sumptus, quam per frictiones in cl. Rustii methodum adhibitus pluries Lepram Arabum sanavisse dicitur: alii autem eam ab hydrargyri usu exasperari et augeri viderunt. — Semper igitur dubiosum erit, an morbus, quem priores sanari observaverant, vera Lepra fuerit, nec potius affectio quaedam notae syphiliticae; qua ex causa mercurium aliis postponendum censeo. — Si eum autem administrare vellem, cl. Rustii methodum ob majorem ejus efficaciam in tam gravi morbo omnibus aliis praeferrem. —

Magnam autem vim medicatricem Jodo inesse, ipse observavi; tertius enim aegrotus, uti ex historia sua patebit, conditione multo meliore nosocomium reliquit et diutius ibidem commoratus probabiliter sanatus esset. — Clarus D. Biett, qui primus sane hoc remedio in Lepra usus est, aegros ut plurimum Tinct. jodinicam per os summere simulque frictiones cum unquento ex Jodi sulphurati p. I. et Axung. suill. p. VIII praeparato die alternante instituere jubet, qua medela jam plures Leprae incipienti obnoxios sanavisse asse-

rit. — Sed Jodum quoque sanationis spem nonnunquam frustrari ex aegroti septimi historia patebit, qui sine ullo fructu plures per menses Tra jodinica usus est, cui tamen minus confidendum esse censeo, quam frictionibus laudatis, in mercuricalium Rustii exemplum institutis; major enim medicamenti copia hac methodo in corpus introduci potest sine ullo tractus intestinalis detrimento, qui Jodo per os sumto fere semper brevi laesus, leprosis tuberculis ibi obviis praemature exulceratur. (Conf. Obs. I.) —

Omnibus aliis efficacius vero Arsenicum ab Indis primo administratum videtur, quod aegroti noni historia probatum cl. D. Biett etiam pluribus observationibus edoctus affirmat. — Tam Arsenicum album, quam sales arsenicosos, Trm Fawleri aliaque praeparata primo dosi minima, in dies vero adaucta cautelis necessariis observatis adhibere possumus. — Nescio, an quisquam unctiones arsenicosas jam tentaverit, quae in methodi Rustii vel Cyrilli exemplum et primo quidem unquento parum Arsenici continente, in tempus autem fortiore institutae arsenici ad intus usui forsan praeferendae essent. —

Quodcunque vero medicamentum, leproso cuidam accersitus, inter laudata curae quasi basin elegissem, alimenta pauca et vegetabilia modo permitterem, specierum lignorum decocta potui administrarem, balnea simplicia, sulphurosa s. cum kali hydrojodinico praeparata ordinarem et tubercula duriora maculasque sensu privatas balneo sic dicto douche à vapeur et vesicantibus, oculorum et faucium affectiones collyriis et gargarismatibus jodinicis aliaque symptomata aliis remediis curarem. —

Quomodo res publica Lepram Arabum in quadam

regione endemicam exstinguere et eliminare posset, alia esset quaestio resolvenda. — Sed de morbi nostri causis haud satis certus subsidia quoque sufficientia suadere nequeo. — Paludum exsiccationem inter prima eorum refero; aegros autem recludi et a sanis separari omnino inutile censeo. — Leprosos et eorum progeniem in regiones salubriores transmigrare non curam tantum aegrorum adjuvabit, sed prolis quoque valetudinem magis tuebitur. — An vero naturae morbi hereditariae causa matrimonia leprosorum familiarumque de tali nota suspectarum prohibenda sint, injudicatum relinquo. —

CAPITULUM SEXTUM.

OBSERVATIONES QUAEDAM SINGULAE.

A. LEPRAE IN AMERICA NATAE EXEMPLA.

Observatio prima.

Lepra Arabum tuberculosa in insula Guadeloupe nata, Parisiis observata. —

N. D . . n anno 1812 in insula Guadeloupe e parentibus sanis, patre Gallo Campaniensi, matre autem insulae indigena, natus usque ad annum aetatis suae decimum tertium vitam ibidem egit omni fere morbo immunem: illo tamen jam tempore maculas in cute brachiorum suorum animadvertit, de quibus autem, cum nec dolorificae nec deformantes essent, tam parum puer erat sollicitus, ut ne colorem quidem nec figuram earum nunc possit describere. — Anno 1825 ad educationem perficiendam a patre, colono locuplete, in Galliam missus primo Burdigaliae in seminario quodam sanitate illaesa annum transegit, dein autem Parisios petivit et in meliore urbis instituto praedagogico receptus litteris incubuit. — Sed paulo post ejus adventum efflorescentiae in facie eruperunt, quas medicus adcersitus principio nihili existimans ne formula medica quidem dignatus est: — exanthemate vero in dies adaucto varia

adhibuit medicamenta, quibus omnibus frustraneis aegrotum in xenodochium particulare misit. — Ibidem medicus magis instructus, morbum ad acmen suam jam profectum et praeter faciem membra quoque aggressum tandem agnoscens, aurum muriaticum ordinavit, quo aegrotus plures per menses sine ullo fructu usus, xenodochio relicto in nosocomio St. Ludovici clarissimi Dom. Biett auxilium quaesivit. — Quarta die Junii a. 1829 prima vice eum vidi. —

Quamquam 17 annos natus, aegrotus statura et voce puerili adhuc praeditus pubertatem nondum aggressus est; habitus ejusdem gracilis, oculi et capilli nigri. — Facies quam maxime deformata est, horrida aspectu; — supercilia prominentia et depilia; oculi parvi, lacrimantes; — nasus largus, crassus, deformis; — labia tumida, genae rugosae rimisque profundis perscissae; color aereus, e fusco luridus. — Tuberculis colore subfusco et ad lentium vel pisorum magnitudinem, duris, rotundis, hemisphaericis seu planis, modo congregatis, modo singulatim sparsis omnis facies, frequentioribus autem malae, nasus labiumque superius scatent. — Plurima eorum in centro fastigium obscurioris coloris, prope nigrum, circumferentia durius, quasi nucleum corneum, observationi praebent; — quaedam vero exulcerata crustis laminosis, brunis flavescentibus obtecta sunt. — Haec tubercula in cute nata cum cute etiam partibus subjacentibus sublevanda et movenda sunt, — alii autem tumores profundiores, majores, forma et amplitudine varii, minus accurate circumscripti, qui in superciliis praesertim, in narium alis, labio superiore et in aurium lobis — nullis tuberculis cutaneis stipatis — occurrunt, superciliorum prominentiae nec non aurium, nasi labii-

que tumoris ac deformitatis causa efficiens principalis, cutem sublevatam non sequuntur, sed immobiles partibus subjacentibus adhaerent. — Tubercula, qualia in facie, sicca, aspera, fusca, sed rariora per extremitatum quoque cutem, praecipue antibrachii et cruris, sparsa sunt et tumores etiam subcutanei ibidem inveniuntur. — Colli autem truncique cutis omnino sana, caesaries spissa et ungues illaesi. — Sed morbus non cuti tantum infestus, alias quoque membranas jamjam aggreditur; tuberculum margaritino - griseum paululum prominens in sclerotica et corneae margine oculi sinistri videtur et in linguae parte anteriore plura se congregavêre, aphthis colore, magnitudine formaque similia. — Aeger nec de dolore nec de pruritu conqueritur; partium affectarum sensus normali potius obtusior esse videtur. — Appetitus est bonus; pulsus, alvus et urinae laudabiles; puer de morbo saevo parum sollicitus somnum et otium amat. —

Cl. D. Biett frictiones cum unquento ex Jodo sulphurato et axungia ad modum frictionum mercurialium institui jussit. — Hoc remedio per mensem vel septimanas sex adhibito, tumores subcutanei minores et molliores fiebant, vultus ideo minus deformis; sed multa tuberculorum cutaneorum exulcerabantur crustaeque obscuriores et tenaciores plures faciei partes obtegebant; vari in lingua disparuêre. — Fine Octobris diarrhoea cum febre — Gastroenteritis nuncupata — incidebat et frictiones suspendebantur. — Fine Decembris aegrum Leprae priori alvique profluvio obnoxium, febricitantem et macilentum reliqui: tuberculis sane sicut in lingua, in tractu quoque intestinali natis, una cum illis

faciei vero fusis mucosae intestinalis exulcerationes resederunt. —

Observatio secunda.

Lepra Arabum tuberculosa Maracaybi in Columbia nata, Montispelii observata.

N. N., Maracaybi in Columbia 28 annos natus, a decimo septimo autem Lepra tuberculosa affectus, morbum patriae familiarem ipse Lepram vocat. — Nullus consanguineorum tali infirmitate obnoxius est, nec ulla causa occasionalis eruenda. — In prima morbi invasione crus sinistrum omnem sensum omisit cutisque colore pluribus locis in luridum obscuriorem mutato maculis figura et magnitudine variis signata erat. — Tuberculis dein primo in crure erumpentibus sensum recuperavit; sed brevi interlapso tempore in facie quoque maculae et paulo post tubercula efloruêre talesque eruptiones, solenni cum febre, intervallis imparibus redierunt. —

Per Galliam ad Hispaniae fines iter faciens plures medicos et inter alios cl. Biett consultaverat; — Montispelii autem cum febre intermittente maximisque artuum doloribus nova tuberculorum eruptio in genu dextro malleolisque pedis sinistri eum invasit. — Clariss. Delpech accersitus febrem validissimam, quotidianam, horis postmeridianis magno cum algore, calore ac sudore profuso incedentem Sulphate Chinini feliciter propugnavit, artuum vero dolores cataplasmatibus emollientibus curavit. — Eo duce 26 die Martii a. 1830 aegrum videre mihi licuit. —

Statura alta, macra; oculi et capilli nigri. —

Facies lurida, gibba, squalida et rugosa; vultus deformis, senis magis quam juvenis. — Genas et mentum tubercula cutanea crebra, colore cutis, magnitudine lentium, dura, rotunda, plana in genis laxis et perscissis, in menti vero cute tensiore hemisphaerica, aspera in superficie desquammatione furfurea, nec tactu dolentia nec sponte sua, gregatim occupant; quaedam etiam in naso et labiis occurrunt, sed rara et singula: frons vero, colore candidiore a facie reliqua distincta, supercilia, tempora et aures iis omnino carent. — Sed tumoribus sub cute positis, mollioribus quam tubercula, inaequalibus, irregularibus et magnitudine variis supercilia prominent, nares alis crassis hiantes, aurium lobi penduli et nodosi redduntur telaeque subcutaneae hypertrophia labium superius tumet ad triplicem amplitudinem. — Superciliorum pili praemortui, barbae rari, singuli; — caesaries spissa. — Nasus non alarum tantum tumore, sed cartilaginum etiam affectione deformis esse videtur, nam pars ejus cartilaginea tactu dolet, aeger de coryza continua et stillicidiis frequentibus conqueritur. — cutis trunci et brachiorum normalis; in cruribus autem, praesertim in articulationum regione, tubercula iis faciei similia: genu dextrum artusque pedis sinistri aliquantum adhuc tument ac dolent; — aeger surgere conatus surarum spasmis vehementibus in lectum repellitur. — Unguium volumen adauctum, figura deformis, quasi plurimis laminibus longitudine et crassitie variis compositi essent. — Et in labiorum interna facie quaedam tubercula minima, margaritino-grisea existunt; lingua vero muco flavescente obducta et marginibus rubra, palatum et velum palatinum sana sunt: vocis sonus haud alienatus: pulsus molles, nor-

malibus paululo frequentiores: cutis madens: alvus soluta: urinae turbidae. —

Semel tantummodo aegrotum vidi. —

Observatio tertia.

Lepra Arabum anaisthetos in insula Guadeloupe nata, Parisiis observata.

N. N., 15 annorum, in insula Guadeloupe e parentibus sanis, natione Gallis, natus est. — Aetatis suae anno decimo omni causa ignota maculae luridae in cute extremitatum et trunci eruperunt, quae principio quidem balneis sulphuratis fugabantur, sed paulo post plures et majores redibant et faciem quoque prius illaesam occupabant: plurimae tamen et maximae semper articulationum regionem, praesertim metacarpum et metatarsum praeferre videbantur. — Cutis tali macula foedata tam insensibilis, ut nec tactus nec acuum ictus perciperentur; macularum autem interstitia sensu normali praedita et quoad cetera normalia fuere. Eodem fere tempore manuum et pedum digiti immobiles, contorti et ulcerosi fiebant. Anno 1828 puer in Galliam profectus plures medicos consultavit, qui morbi naturam haud perspicientes vario modo eum curabant. — Parisiis in nosocomium St. Ludovici receptus talia symptomata observanda praebuit:

Puer habitu gracilis, oculis et caesarie niger, facie pallidus. — In mento malaque dextra, in variis trunci partibus, inprimis autem in extremitatibus inferioribus nec non superioribus maculae apparent luridae, figura va-

riae, de lentis magnitudine ad illam palmae manus, cutis superficiem non superantes et levi epidermidis desquammatione furfurosae, ephelidibus hepaticis haud dissimiles, sed anaesthesia facile ab iis distinguendae. — Nec tactum nec acum persentiunt, nec sponte sua dolent aut pruriunt. — Earum autem interstitia nec colore, nec sensu, nec ceteris de cute sana divergunt. — Nulla tubercula nec tumores subcutanei; phalangum digitorum autem et metacarpi articulationes aliquantum tumidae, anchylosi affectae; digiti contorti, immobiles; cutis eorum violacea, squalida, rugosa, in palma manus rhagadibus fissa et desquammatione aspera; ungues crassi et deformes. — Eadem in pedibus occurrunt, sed graviora. — In digitis enim, in plantis et lateribus pedum loco macularum et rhagadum ulcera sordida, profunda, indolentia, intus ad extra nata existunt, quae saniem tenuem, parcam, male olentem excernunt et pluribus digitorum ossibus jam exitum praebuêre, ut aeger narrat digitique unque etiamsi deformi adhuc muniti, primae autem vel secundae phalangis osse carentes probant. — Functiones reliquae normales. —

Cl. Biett Trm Jod. et unquentum Jodinicum plures per menses aegro administrari jussit, tali cum successu, ut fine mensis Septembris anni 1829 plurimae macularum disparuissent, sensus rediisset, motus articulationum liberior et pene omnia ulcera sanata essent. — Aeger reliquit nosocomium. —

B. LEPRAE IN EUROPA NATAE EXEMPLA.

Observatio quarta.

Lepra Arabum tuberculosa in insula Spezzia nata, Papiae observata.

In nosocomio Papiensi Graecum vidi in insula Spezzia natum foedaque Lepra tuberculosa ibi correptum. — Linguae neograecae imperitus et semel tantum aegri intuitu fruens sequentia tantummodo notavi:

Vir triginta circiter annorum, statura altus, macer, crinibus niger. — Facies sola morbo infesta, cutis corporis reliqui sana. — Sed vultus horribilis aspectu; — color aereus e fusco flavescens; supercilia, nasus, aures et labia tumefacta et nodosa, tuberibus subcutaneis infarcta; cutis tuberculis innumerabilibus cute lurida paulo obscurioribus, duris, asperis, nucleatis stipata et rhagadibus profundis fissa; — oculi pannis flavescentibus, squalidis, superficie inaequalibus, quasi pluribus tuberculis confluentibus et exulceratis, omnino obscurati, inflammati et saniem secernentes: supercilia et mentum calva, capilli spissi, ungues normales. — Aegri animus gravi moestitia vitaeque taedio afflictatus. — Loquela ceteraeque functiones illaesae. —

Cl. D. Hildenbrand, cujus permissione aegrotum videbam, mihi narravit, eum febricitantem et tuberculis in naso exulceratis in nosodochium receptum esse. —

Observatio quinta.

Lepra Arabum tuberculosa St. Laurentii in Ruscinone nata ibique observata. —

N. G . . é, 77 annorum, femina statura alta, fortis, capillis et oculis nigra, St. Laurentii Salancensis in Ruscinone indigena, e parentibus agricolis locupletibus, quorum neuter Leprae obnoxius erat, nata patriaeque finibus nunquam egressa, usque ad annum septuagesimum secundum sanitate illaesa pervenerat, nisi quod febre intermittente illis regionibus endemica 15 ante annos corriperetur: — anno 1825 autem in via cecidit et paulo post morbo praesente correpta est; quare eum illius casus sequelam credit. — Morbus primo brachium sinistrum, deinde dextrum et faciem, ultimo et crura aggressus est, rubore scilicet levique tumore, qui nec dolore, nec alia functionum perturbatione molesti principio non morbi symptomata, sed sanitatis bene vigentis signacula existimabantur. — Sed paucis praeterlapis hebdomadis tubercula (— aegra linguâ vernaculâ Butùs ea nuncupat) — in locis rubescentibus nascentia contrarium probaverunt. —

Die 12mo mens. Martii a. 1830 eam visitans tale symptomatum agmen inveni:

Facies colore normali obscuriore, naso paulo largiore et oculis lacrimantibus tantum primum offendit intuitum; — sed inquisitione diligentiore instituta in utrisque genis, in nasi tergo et alis nec non in superciliis tubercula cutanea frequentia cutis colore pisorumque magnitudine reperiuntur plana, dura, rotunda et indolentia; tumores vero subcutanei nulli. — Supercilia

pilis omnibus privata; caesaries autem spissa anno praeterito tonsa brevi tempore priorem longitudinem recuperavit. — Tubercula autem frequentiora et majora in extremitatibus superioribus, praecipue in antibrachiis occurrunt, quae in cute lurida, rugosa et sese desquammante ad magnitudinem pisi, avellanae et ipsius cerasi prominent, cute obscurius tincta, fusca, livida, in superficie desquammatione aspera, dura, nucleata, modo discreta, modo confluentia et conglommerata. — Frequentiora et confluentia brachii faciem interiorem, majora autem exteriorem occupant et praesertim in artuum regione conferta, ubicunque cum cute sublevanda et movenda sunt. — Tumores autem subcutanei, qui variis in locis tam tuberculis cutaneis quam cuti haud tuberculosae suppositi et frequentiores quidem in dorso manuum et digitis, tuberculorum expertibus, occurrunt, immobiles partibus subjacentibus adhaerent cuteque sublevata non moventur. Variae formae sunt et magnitudinis, tuberculis majores et molliores, irregulares, plani et interdum profunde in musculorum interstitia descendere videntur. — Nec tumores, nec tubercula tacta dolent, sed aegrota de pruritu praesertim noctu vehemente, formicatione et de digitorum frigiditate tantoque stupore conqueritur, ut nec tenere quidquam, nec tactu distinguere possit. — Ac in cruribus et pedibus quaedam tubercula iis brachiorum similia sed minora observantur et oedema modicum, laeve, aliquantum durum ad genua usque ascendit. — Praeter oculorum conjunctivam vasorum injectione rubefactam ac plus solito secernentem omnes membranae mucosae sanae, loquela normalis, appetitus, digestio omnesque aliae functiones laudabiles, nisi alvus modo tarda, modo soluta. — Ni-

hil remedii adhuc adhibebatur, nisi resolventia quaedam et balnea simplicia, marina ac sulphurata, quorum duobus ultimis autem ob congestiones ad caput, quas causabant, semel tantum usa est. —

Observatio sexta.

Lepra Arabum tuberculosa ibidem nata et observata.

Eodem die eodemque in vico St. Laurentii Salancensis alteram vidi leprosam indigenam, Eulaliam P..o, 44 annorum, agricolae pauperis uxorem matremque octo infantum, quorum tres adhuc vivi majorque natu 20 annorum. — Parentum suorum jam dudum defunctorum non meminit, sed nunquam audivit, eos Leprae infestos fuisse. — Ipsa usque ad annum aetatis trigesimum quartum aut sextum bene se habuit; sed illo tempore e curru in terram prolapsa, paulo post sine prodromis a morbo foedo primo in facie, dein in extremitatibus invasa est. — Maculae primo apparuêre, dein tubercula, quae lento progressu omnibusque functionibus illaesis non impediebant, quin aegra solitis domus officiis praeesset. — Sed vere anni praecedentis vocis raucitate, coryza crurumque ulceribus affecta, autumno subsequente gravissima dyssenteria per duos menses procubuit. — Nihilominus nunquam consultavit medicum et lecto vix relicto priora negotia suscepit in ruris operibus marito particeps. — Nec vir, qui cum uxore Leprae jam obnoxiae tres infantum genuit et semper eodem toro usus est, nec infantes, quorum minor tres annos natus, ullum morbi vestigium praebent. —

Statura alta; caesaries spissa, nigra; oculi badii.— Facies lurida, squalida, tumens; — nasus largus et in apice exulceratus.— Tubercula parva, plana et rotunda in pluribus faciei locis, inprimis in naso, circa apicem exulcerata.— Tumor subcutaneus superciliorum depilium, tubera in aurium lobulis et in altero eorum cicatrix parva, rotunda, profunda, tuberculi prius exulcerati residuum.—

Tubercula majora et frequentiora, etiamsi nec magnitudine nec copia iis aegrotae quintae aemula, in antibrachiis et manuum dorsis sparsa, colore obscuriore aereo tincta, dura, nucleata, nusquam exulcerata et indolentia. — Tubera subcutanea distincta ibi non occurrunt, sed omnis tela cellulosa subcutanea tumere videtur, cutis enim tensa est ac nitens, sicut in anasarca, sed tactui multo durior. — Multo magis tumentes extremitates inferiores paucis modo tuberculis stipatae inveniuntur: crurum volumen ad duplex fere adauctum et cutis partis superioris laevis, nitida, partis mediae erysipelatosa, malleolorum autem et pedum superficiei dorsalis squalida, rugosa, dura et squammis griseis nigrescentibus obtecta est. — Plures cicatrices albae, inaequales, profundae, figura et magnitudine variae in utroque crure exulcerationibus vere anni praecedentis existentibus residebant duoque ulcera superficialia, alterum ad pollicis, alterum ad pollicis dimidii diametron in crure sinistro adhuc obveniunt et marginibus serrata, fundo squalida, rubore livido cincta, saniem tenuem, flavescentem putridumque secernunt. Ungues normales; sensibilitas partium affectarum illaesa: — cutis trunci praeter colorem normali obscuriorem, adustum sana est.— Sed morbus non cutem tantum foedavit. — Albuginea oculi ex albo livescit et in utraque cornea nubeculae,

sed visum nondum obscurantes observantur; — cartilagines nasales tument tactaeque dolent, nares crustis obturatae sunt et fluidum saniosum, graveolens, interdum sanguine mixtum edunt. — Lingua tuberculis miliaribus albescentibus conspersa, tumida et rimis profundis sanguinolentis perscissa, in masticatione valde dolens; in velo palatino quoque, in uvula et tonsillis grana illa frequentia: loquelae sonus raucus et extinctus; tussis rauca, sicca, fatigans; sed nec faucium, nec tracheae, neque pectoris dolor. — Appetitus bonus, vires laudabiles omnesque aliae functiones haud perturbatae. —

Semel tantum aegrotam vidi. —

Observatio septima.

Lepra Arabum tuberculosa Massiliae nata ibique observata.

N. N., 36 annorum, natione Nizzensis, sed jam viginti per annos Massiliae in officina sacharo purificando operarius, Galliae finibus nunquam egressus, quendam consanguineorum Leprae infestum fuisse nescit et usque ad annum 1828 bene se habuit. — Omni causa ignota aestate illius anni facies ei intumuit, efflorescentiae apparuerunt et brevi vultus deformitas eum nosodochium petere jussit. — Ibi die 31 mens. Martii 1830 eum visitavi. —

Virum inveni statura media robusta, capillis, et oculis nigris; — faciem luridam, tumentem, regionem supraorbitalem prominentem, nasum crassum, largum, labium superius tumidum, quae omnia tuberculis crebris,

ad pisorum magnitudinem, luridis, badiis, cute magis nitentibus, modo planis, modo magis acutis et hemisphaericis, rotundis, duris, singulis in naso, mento et superciliis, in malis autem congregatis et majoribus scatebant. — Quaedam tantum horum tuberculorum in regione superciliari sinistra exulcerata tenuique crusta colore fusca obtecta erant, reliqua sicca, nulla desquammatione aspera. — Praeterea tumores soliti subcutanei in superciliis, labiis, narium alis lobulisque aurium, tuberculorum expertibus, obvenerunt et fabis vel avellanis magnitudine adaequantes formaque varii eas partes nodosas reddiderunt. — Barba rara et supercilia depilia fuere; caesaries autem spissa frontisque, colli et trunci cutis normalis, morbo affecta candidior. — Tubercula frequentia, illis faciei majora sed planiora et brachiorum cutem luridam occupabant, manibus autem parcebant; — brachia quidquam tumebant, cutisque tensa erat; in digitorum autem facie dorsali tumores subcutanei circumscripti sicut in aliis in hoc quoque aegroto obveniebant. — Crura magis tumida, sed rarioribus minoribusque tuberculis quam brachia obsessa fuere: ungues solito planiores, textura vero normali. —

Omnium partium affectarum sensus normali multo obtusior erat; tactus non percipiebatur et acus, nisi profunde deficta, non dolebat. — Membranae mucosae et cartilagines adhuc illaesae omnesque functiones normales. —

Huic quoque aegro Jodum plures per menses administrabatur, sed absque magno fructu; dein irritatio ventriculi medicamento nata ejus usum defendebat, et nil remedii, nisi balnea, adhibebatur tempore, quo eum vidi. —

Observatio octava.

Lepra Arabum tuberculosa in Delphinatu nata et Montispelii observata.

Josephus D * * * é, juvenis viginti quinque annorum, in vico urbi Gratianopoli contiguo ex parentibus sanis natus usque ad annum aetatis suae undevigesimum bene se habuit, linguae tamen haesitantiae a parvo obnoxius. — Vici suarius provinciaeque finibus nondum egressus sex ante annos a morbo, patriae indigenis Lepra nuncupato, invasus est, quem gravius loquelae vitium et quaedam mentis imbecillitas antecesserat. — Prima morbi indicia in digito annulari dextro se palam dedêre, quaedam scilicet tubercula, ab aegroto boutons appellata, livida, indolentia, dura. — Sed brevi in reliqua quoque manu, in omni brachio dextro, in cruribus et pedibus similes eminentiae exsurgunt, digitorum artus immobiles, contorti et tumidi redduntur et tandem tam tuberculorum quam artuum exulcerationi, omni vere recrudescenti, obnoxius juvenis miser aspectu horribilis mutilatur. Pluribus jam nosocomiis quasi insanabilis dimissus, Montem pessulum tandem petens in istius urbis nosodochium generale receptus est, quo sub auspiciis cl. Dom. Delmas die 13mo Februarii ann. 1830 eum visitans sequentia annotavi:

Constitutio robusta, statura alta, capilli fusci, oculi grisei, color faciei sanus; in nasi tamen radice et in fronte maculae quaedam suspectae, rubrae, indolentes, sed sensus haud expertes. — Trunci et brachii sinistri cutis illaesa; brachium dextrum vero et crura, dextrum

magis sinistro, eruptione quadam, deformatione et mutilatione foedata. — Eruptio tubercula exhibet cutanea, rotunda, dura, livida, plana, pisorum et imo crucigerorum amplitudinem aemulantia, modo singulatim obvia, modo congregata et in virgas et pannos figura et magnitudine varios, cutem superantes confluentia. — Tam in tuberculorum singulorum quam in confluentium superficie epidermis desquamatur pluraque eorum crusta quadam squamacea albescente obtecta sunt; nonnulla quoque exulcerata saniem putridam fundunt; exulcerationibus autem majoribus et frequentioribus partes affectas vere et aestate praecedente obsessas fuisse, aegrotus refert. — In tuberculorum interstitiis tam eruptionis initia, maculae scilicet rubrae ut plurimum anaesthesia seu sensu normali obtusiore insignes, quam tuberculorum exulceratione fusorum residua, cicatrices scilicet iniquae, figura variae, cute albidiores inveniuntur. — Tubercula frequentissima, congregata et confluentia in artuum regione, in manu, cubito et humero dextro nec non juxta ejusdem lateris genu frequentia quidem, singula tamen in brachii continuitate et rara modo in cruribus obveniunt. — Et brachii affecti et crurum tela cellulosa subcutanea tumet, crurisque dextri volumen ad duplex adauctum est; sed nisi in digitorum facie dorsali tumores isti subcutanei distincti nusquam videntur; — partes reliquae nec nodos nec appendices sub cute exhibent, sed telae cellulosae hypertrophia universali et aequa correptae sunt. — Cutis crurum sicca, aspera, dura, squalida et squamosa invenitur, tumorque subcutaneus non ad oedematis exemplum mollis est, nec digiti impressi vestigium conservat, sed lardo duritie se adaequat. — Omnibus autem gravius digitorum artus infestati sunt;

manus dextrae enim digiti contorti, immobiles et exulcerati sunt, annularis secunda sua phalange mutilatus, medii artus tumidi et dolentes, indicatorius in apice saniem fundens primaeque ejus phalangis separatio imminens; — pedum vero digiti nec exulcerati quidem nec mutili, sed contorti motusque impares. — Nusquam ossa, sed cartilagines tantum corruptio invasit. — Pili et ungues illaesi, membranae mucosae nulli alterationi apparenti obnoxiae, sed halitus foetens, vox normali raucior, lingua haesitans, acies animi obtusior; — functiones reliquae normales. —

Aegrotus variis remediis absque omni fructu usus sub mensis Martii exordiis nosocomium reliquit. —

Observatio nona et ultima.

Lepra Arabum anaisthetos in Catalonia nata, Herbipoli observata.

Philippus L * * * * n, agricola 34 annorum, in vico Sennfeld e parentibus sanis natus, matrimonio junctus et plurium infantum pater, statura altus, caesarie flavus et constitutione satis robustus die 24° Junii ann. 1823 in nosocomium Julianeum recipitur. — Puerili aetate se cuidam eruptioni herpeticae obnoxium fuisse quidem fatetur, qua vero jam dudum sanata sanitate illaesa gaudebat. — Herbipolensium signa secutus in Catalonia militavit et licet neminem viderit tali aegritudine affectum, morbi praesentis tamen cymam in istis regionibus accepisse contendit; — ex Hispania enim anno 1815 redux paulo post ab eo correptus est. — In metacarpis

et antibrachiis prima ejus vestigia exorta sunt, quorum autem accuratius describendorum haud par est aegrotus; dein crura quoque et faciem malum aggressum est et nosocomium petens aeger sequentia obtulit symptomata:

Color faciei mutatus est; circa nasum, os, mentum et supercilia maculae videntur rubrae et lividae forma et amplitudine variae, siccae et cute reliqua tactu duriores. — In nonnullis earum eminentiae quidem exsurgunt, sed rarae et minimae, Acnes stigmata aemulantes; major autem macularum numerus tuberculis caret et levi modo epidermidis desquamatione insignis, sensum normali multo obtusiorem et imo anaesthesiam exhibet. — Nasus his maculis obsessus et continua desquamatione attritus minor et gracilior est, velut tabescens ejusque margines normalibus multo sunt acutiores, quasi cartilagines tenui modo lamina cutanea obtegerentur; — labium superius gracile, contritum — aures marginibus acutae. — Aurium vero concharum contorsio nasique quoad formam corruptio nec non ozaena graveolens et contigua corrodens praeter cutem cartilagines quoque esse affectas demonstrant et palpebrae deformes, quasi corrugatae, et ciliorum expertes oculos rubescentes et lacrimantes tegere nequeunt. — Barba et supercilia rara sunt et caesaries defluit. —

Maculae iis faciei similes, lividae, luridae et figura et magnitudine variae in extremitatibus quoque, praesertim in artuum regione ad metacarpos et metatarsos obveniunt, quarum cutis corrugata, dura, desquamatione aspera et anaesthesiae infesta, quandoque etiam exulcerata saniem tenuem et flavescentem fundit. — Artubus tumentibus tam manuum quam pedum digiti (primae prae aliis phalanges) vario modo contorti, deformes,

indolentes omnique sensu privati nec moveri, nec tactu quidquam distinguere possunt, unguibus curvis, crassis, deformibus, pluribus quasi laminis compositis muniti. — Vox rauca et nasalis est; — functiones reliquae haud turbatae, tussicula sicca sed parum importuna excepta. Arsenico oxydato albo pro dosi a gr. $^1/_{32}$ ad gr. $^1/_8$ bis quotidie adhibito sub exordiis mensis Augusti, cujus die 13a aegrotus sua sponte nosocomium reliquit, omnia fere ulcera sanata, artus minus tumidi digitique mobiliores erant.

Ast die 26 mens. Junii a. 1824 nosodochium iterum petivit, omnibus symptomatibus prioribus et gravioribus quidem obnoxius. — Nasus et aures magis deformia, maculae crebriores, calvities barbae et superciliorum pene completa, capilli rari, digiti quam maxime contorti et ulcera in artuum regione frequentiora fuerunt.

Arsenicum denuo ordinatum tali cum effectu administrabatur, ut aegrotus pene duabus hujus medicamenti drachmis usus dieque 13a Februarii anni 1825 nosocomio dimissus nulla exhiberet ulcera maculasque admodum raras. — Color faciei normali mutatus erat atque nasi auriumque corruptio subsisti videbatur; — digiti minus contorti nec amplius tumidi tam motu quam sensu gaudebant, etsi unguibus crassis et curvis adhuc muniti, qui una cum calvitie et nasi auriumque forma insolita morbi pene sola residua videbantur. —

Lepra non amplius recruduit: sed anno sequente 1826 aeger in vico suo Pneumophthisi demortuus est.

CITATA ET ADNOTATIONES QUAEDAM.

1) Petr. Frank, de curandis homin. morbis IV §. 454. — Edit. Manhem. 1793. pag. 211.

2) Lucretius, de rerum natura VI. 112.

3) Plinii secundi, histor. natural. XX. 52. — XXVI. 5. —

4) Plutarchi, Sympos. VIII. 9. —

5) Plinii, histor. natur. XXVI. 5. —

6) C. Celsus, de re medica. L. III. Sect. 25.

7) Caelius Aurelianus, de morbis chronicis. lib IV. c. 1. —

8) Aretaeus Cappadox, de diuturnorum morborum causis et signis lib. II. c. 13. Edit. Kühn p. 174.

9) Galenus de caus. morb. c. 7 — de tumoribus c. 13. 14. — de compos. medicam. sec. loc. V. c. 7. — de arte cur. ad Glaucum II. 10. — Lib. introduct. c. 13. etc. etc. —

10) Vide in Aetii tetrabibl. IV. Serm. I. c. 120. —

11) „Φάρμακα δὲ ἄλλα μυρία τῶν κελτίων, οἱ νῦν καλέονται γάλλοι" etc. — Aretaeus, de diuturnorum morborum curat. lib. II. c. 13. Edit. Kühn p. 343. —

12) Aetii et Pauli Aeginetae descriptionibus notis et orientem magis adtinentibus aliam occidentalem codici membranaceo Bibliothecae Bambergensis (L. III. 8) seculo decimo conscripto excerptam subjungere possem, nisi hujus tractatus fines respicerem. — Autor anonymus istius »Summae medicinae«, in occidente latino se vixisse ipse fatetur, fol. V. proëmii ad discipulos dicens: «Si vobis non fuerit graecarum litterarum

nota facundia . . . . . legite Ippocratem atque Galienum latina lingua conversos»; — ejusque aetatem ad seculum octavum vel nonum referendam censeo, cum praeter Gregorium papam et Germanum episcopum Capuensem omnes fere medicos graecos et latinos usque ad Paulum, nullum autem Arabum memorat. — Elephantiasis jam fol. XIX. lib. I. c. 29 meminit, verbis: »ad elefantiosos vel toros nascentes in membris; »ampliorem autem morbi descriptionem fol. XXI. et XXII. libr. I. c. 46 reliquit. — Gariopontus, iste compilator Salernitanus, hanc descriptionem ante oculos habuisse videtur, cum Passionar: Galeni V. 5. ejus exordium pene verbotinus transscripsit. —

13) »Eodem anno (615) Augusto mense, indictione tertia, terra ingenti motu contremuit. — Terrae motum vero foedissima lues est consequuta. — Hoc erat scabiei genus, Elephantiae nomine appellatum, quod affectorum ora adeo lacerabat, ut viventes, nedum mortui, haud possent diagnosci« — Sigonius, Histor. Italiae L. II. p. 33. Edit. Francof. fol. 1591. —

14) Cfr. Raymond, Histoire de l'Elephantiasis. Lausanne. 8. 1767. p. 107 et sequ. et Hensler, vom abendländischen Aussatze im Mittelalter. Hamburg. 8. 1794. p. 211.

15) Jac. Mayer, Annal. Flandr. l. IX. p. 136.

16) Codex membranaceus Bibliothecae regiae Parisiensis Nro. 10298[2] sub titulo: Chronique abregée de France: res gestas Gallorum usque ad annum 1383 exhibens fol. VIII. sequentia refert: «En son temps, qui fut en l'an 1321, advint en france, que les caducs et lepreux joincts avecques les juifz firent machmarine et conspiration pour empoisonner tous les puits et fut dict que le Roi de Grenade y tenoit sa main et devoit fournir il poisons et argent pour faire les decayences; et confesserent les dictz lepreux, qu'ilz avoient deliberé de prendre les dicts poisons et l'hostie sacrée et en faire cendre et scelle mesler parmi les dicts poisons et devoyent mettre les dicts poisons dedans les puys, fontaines et rivières et tousjours au primtemps se devoyent aller baignir les dicts lepreux dedans les dictes rivières pour plus facillement corrompre

les dictes eaux et voila la confession. — Et depuis la plus grante partye de dicts lepreux furent bruslés par tout le royaume de france et tous les aultres qui n'estoient conspirans furent mis en carcières perpetuelles dedans les hôpitaux des dicts lepreux.» —

17) Exempli gratia ordini equestri St. Lazari a Ludovico juveni (cfr. Raymond p. 109), canonicis ecclesiae collegialis Commerciacensis a Simone de Saraeponte (cfr. Calmet, Hist. de Lorraine. T. II. Preuves. p. 396) et cet.

18) Raymond, p. 106. —

19) Lepra vulgaris Willanii nec Leuce Graecorum nec ulla Leprae species mihi videtur, sed Psoriasis speciem eam existimo, a Psoriasi guttata, nisi macularum majori circumferentia marginibusque tumidis, cutem magis superantibus, vix differens. — Plures vidi aegrotos, qui inter Psoriasis guttatae maculas innumerabiles hujus etiam sic dictae Leprae vestigia praecipue in cubito et genu ostendebant. — Leuces verae autem descriptiones diaria exhibent: The medical recorder. Nro. 29. January. 1825. p. 37. autore Kinnis; — Revue medicale. 1829. autore Alibert; — das Ausland. 1830. Nro. 245. etc. —

20) Constantini Africani, De morborum cognit. et curat. lib. VII. c. 17. et De Elephantia liber in Albucasis edit. Basil. fol. 1541. —

21) Theodorici, Chirurgia. l. III. c. 55. —

22) Gordonii, B. Lilium medicinae. Lugduni. 8. 1574. P. I. c. XXII. p. 94.

23) Gadesden, J. de, Rosa anglica practica medicinae. Papiae. fol. 1492. L. II. c. 7. p. 55. —

24) Arnaldus de Villanova, Breviarii lib. II. c. 46. — Operum, Lugduni. fol. 1520. fol. 186.

25) Vitalis de Furno, Remed. et curation. lib. — c. 202. —

26) Hensler, p. 226 et sequ.

27) Rondeletii, Guilielm. Opera. Edit. prima. Paris. 8. sine anno. — De diagnoscendis morbis f. 20. —

28) Ranchin, Franç., Traité curieux de la Lèpre in: Opuscules ou traictés divers et curieux en Médecine par François Ranchin. Lyon. 8. 1640. — pag. 395—512.

29) Gersdorf, Handbuch der Wundarznei. Straßburg fol. 1517.— Sechstes Buch. Von der Aussätzigkeit oder Maltzey. —

30) Fuchsius L., de medendis morbis. Francofurt. 8. 1542. — l. V. c. 16. p. 602. —

31) Schopf, Kurzer aber doch ausführlicher Bericht von dem Aussatze, auch dessen Ursachen, Zufällen u. Curation. 8. Straßb. 1582.

32) Horst, de morb. contag. et malign. observ. medic. singul. lib. VII. Appendix ad observat. XVIII. —

33) Uddmann, de Lepra, in Linnaei Amoenitat. academic. T. VII. p. 94 et sequ.

34) Cfr. Raymond p. 30.

35) Sieber, F. W., Reise nach der Insel Kreta im griechischen Archipelagus im Jahre 1817. Leipzig und Sorau. 8m. 1823. 2tr. Bd. p. 155 et sequ. — p. 177. —

36) Bartholini Th., Acta Hafniensia. Ann. 1671 p. 87. —

37) Lindestolpe in Act. literar. Sueciae. T. I. p. 476. ann. 1723.

38) Uddmann l. c. —

39) Spoering in Act. literar. Sueciae T. III. p. 14. ann. 1730.

40) Martin in: Schwedische Abhandlungen. Bd. 22. p. 301. —

41) Hensler l. c. — Excerpta p. 110.

42) De Radesyge Norveciae ejusque ad Lepram affinitate confer. Holst, F., Morbus, quem Radesyge vocant, quinam sit quanamque ratione e Scandinavia tollendus? Christianiae. 8. 1817. — Istius commentationis autor Spedalkshed, Lepram illam Bergensem, quam Büchner et Möller et Hempel in Hensleri excerptis p. 110 et sequ. descripserunt, a Radesyge specie modo diversam putat eamque Radesygen sive potius Lepram tuberculosam nuncupat, Radesygen vulgarem autem, in reliquis Norveciae provinciis frequentiorem, Radesygen squamosam vocatam cum Lepra squamosa sive Graecorum congruere existimat. — Mihi quoque Spedalkshed veram

Lepram Arabum tuberculosam videri e prioribus patebit: Radesygen vero nec Lepram Graecorum nec Arabum, sed aliud Leproseos genus, quod Lepra arctica s. ulcerosa nuncupari posset, opinor.

43) Quartam sane Europae plagam Leprae infestam adjicere possem in fidem Schillingii de Lepra commentationum (Lugd. Batav. 8m. 1778 p. 176 et sequent:), quarum clarus autor in nosocomio Moncaleriensi familiam vidit morbo nostro obnoxiam et ex aegrotis comperit, complures esse pagos in illa Pedemontii parte, cui nomen est vallium, quorum multi incolae hoc malo infestentur; — et ipse leprosum vidi (Obs. VIII) Pedemontii finium, regionis subalpinae, indigenam. — Sed nec ipse ibi profectus, nec a testibus recentioribus de morbo in Pedemontii et Sabaudiae vallibus frequentiore certior factus plura de istius terrarum plagae Lepra disserere nequeo. —

44) Joannis, in Medical Observat. and Inquir. by a Society of Physicians in London. Vol. I. Edit. II. 1758. p. 201—211.

45) Raymond, l. c. p. 14 et sequ.

46) Vidal in Hist. et mémoir. de la Soc. royale de Médecine. — Année 1776. — Mém. p. 161 et sequ. —

47) Chamseru et Coquereau ibid. Année 1782—83. Mém. p. 168 et 196. —

48) Foderé in Journal complementair du dictionnaire des sciences médicales. T. V.

49) Valentin in Bulletin de l'école de Médecine et de la Soc. de Paris. — Année III. 1807. p. 48. et 145.

50) Foderé, Voyage aux Alpes maritimes. T. II. p. 242.

51) Valentin, L. Voyage médical en Italie. 2de édit: Paris 8. 1826. p. 353.

52) Periódico de la Sociedad médico-quirúrgica de Cadiz. Tom. III. p. 234—241.

53) Reus, Cataloniae urbs duo milliaria a mari distans, 20,000 habitantium inprimis sericariorum vitiumque cultorum alit. —

54) Duo reliqua exempla Elephantiasin Arabum attinebant. —

55) Insulae (Ille, Depart. des Pyrénées orientales), parvum oppidum quinque milliaria gallica Perpiniano distans, ad radices montis Canigou sitae sunt et 300 habitantium numerant. —

56) Martigium al. Maritima (Martigues en Provence, Départ. des bouches du Rhône), oppidum ad ostium stagni Berrensis, partim in continente, partim in insulis situm, 7300 habitantium maxima ex parte piscatorum et nautarum nutrit. —

57) Vitrollium (Vitrolles en Provence) populationem 1000 animarum exhibet et quartam milliarii gallici partem a stagni Berrensis littore occidentali distat. —

58) Allassio, Liguriae urbs maritima a 7000 habitata, mari Alpibusque maritimis interposita est. — D. Bermondi nomina pagorum in Allassionis ambitu Leprae obnoxiorum mihi referre haud potuit. —

59) Pigna et Castellum Francum, vici in Nerviae valle siti, pauca milliaria ab urbe Ventimillia et mari distant; — Foderé hanc vallem multas paludes irrigationis causa arte factas exhibere inquit. —

60) Clavarum (Chiavari), oppidum 25 millia italica Genua distans et inter montes Apenninos et mare ad flumen Lavagnam situm, 3000 habitantium, quorum major pars textores et opifices nutrit. —

61) Cui morborum classi et ordini Lepram Arabum adnumerem, in hac brevi dissertatione haud exponendum censui. — Dixisse igitur sufficiat, Lepram Arabum non omnem complecti Leprosin et sicut variae affectiones venereae vel scrophulosae, licet nunquam in eodem aegro omnes occurrant, in unum tamen vitium, Syphilidem scilicet vel Scrophulosin congruant et quasi familias morborum naturales forment, varias quoque existere affectiones leprosas, quae quibusdam notis in familiam morborum naturalem Leproseos scilicet congruentes differentiis tamen satis significantibus varia genera et species exhibeant. —

62) Schillingius l. c. p. 178 duorum fratrum ex matre leprosa natorum historiam refert, quorum natu major Lepra tuber-

culosa affectus erat, minor autem maculas tantum omnino indolentes et nonnullos manuum digitos truncatos exhibebat. —

63) Maculae figura et colore variae, quae sub exordiis utriusque nostrae speciei in cute efflorescunt, in Arabum et Arabistarum de Lepra tractatibus variis nominibus nuncupantur. — Nam eorum Morphaea nigra et rubra, Gutta rosea, Lentigines et Panni, quae, uti dicunt, saepe Lepra confirmata secuta est, nihil aliud mihi videntur, nisi haec morbi nostri initia. — De morbis cutaneis vero non satis instructi et differentias macularum leprosarum et aliarum haud agnoscentes scriptores medii aevi, saepius nullum aliud Leprae symptoma maculas, quas leprosas judicaverant, subsequi videntes, omnes fere cutis affectiones maculosas quasi Leprae suspectas, sed nonnunquam modo in Lepram veram et confirmatam ducentes anxie descripserunt et secundum formam, colorem, sedem et cet. in varia genera et species diviserunt; — de quibus qui plura legere cupit in clar. Hensleri libro laudato satis inveniet. —

64) Scriptores medii aevi recentioribus multo melius tubercula cutanea a tumoribus subcutaneis distinxisse videntur; — Sahaphati enim Arabum et Arabistarum, Pustula Gordonii, impetigines et serpigines siccae aliorum, quae affectiones cutaneae Lepram confirmatam modo antecedere modo comitari dicuntur, tuberculis nostris cutaneis conveniunt et nunquam cum scrophulis, glandulis, toris etc., quae tumoribus subcutaneis respondent, confunduntur. — Plurimi vero nostratum in Leprae tuberculosae descriptione de tuberculis in genere loquuntur, omne inter ea discrimen silentio praetereuntes. — Sub nomine Sahaphati autem, pustulae, serpiginis etc. alia quoque cutis mala quam tubercula leprosa haud raro a medii aevi autoribus descripta esse, meminisse juvat. —

65) Tumores subcutanei, Aretaei ὄγκοι et ὄχθοι, Celsi tumores, medii aevi scriptorum glandulae, scrophulae, tori, posciae (Anonym. not. 12 laudat:) etc., omni aevo quasi maximi momenti symptoma observati sunt et ex iis, non ex tuberculis cutaneis morbus, quem tractamus, Leprae tuberculosae nomen accepit.

66) Aretaeus l. c. p. 181 ob supercilia prominentia torvumque aspectum, p. 178 vero ob malarum ruborem et effraenem coitus libidinem morbum nostrum leoninum nuncupari dicit. Medii aevi autem medici, Lepram tuberculosam ulcerosam Lepram leoninam, Lepram tuberculosam siccam vero Lepram elephantinam vocaverunt. Aliam Aretaeo magis convenientem Leontiasis definitionem Anonymus nota duodecima laudatus profert, verbis: «Cum ciliorum gravedinem et tumorem quendam adprehendant et asperitatem et silicationes totius corporis cum sanguine a facie quondam habuerint, Leontiasim vocamus.» —

67) Jam Aretaeum linguae aliarumque partium internarum affectionem tuberculosam agnovisse, ex verbis sequentibus constat: «γλῶσσα χαλαζώδεσι ἰόνθοισι τρηχεῖα οὐκ ἀδόκητον καὶ τὸ ξυμπαν σκῆνος (interior sane corporis facies potius, quam corpus, uti Henricus Stephanus transtulit) ἔμπλεων τοιῶνδε ἔμμεναι.» Aret. p. 180—81.

68) «Ἤδη κοτὲ καὶ τῶν μελέων προαποθνήσκει τοῦ ἀνδρώπου ἄχρι ἐκπτώσιος, ῥὶς, δάκτυλοι, πόδες, αἰδοῖα καὶ ὅλαι χεῖρες.» Aret. p. 182. —

69) Cfr. etiam: Cazenave et Schedel, Abrégé pratique des maladies de la peau. Paris. 8m. 1828. p. 339. — Alibert, Description des maladies de la peau etc. Paris. fol. maj. 1806—1826 p. 142 etc. —

70) Exemplum a. cl. Henslero l. c. p. 75 relatum contrarii non mihi argumentum videtur, cum haud satis probatum censeo, istius infantis maculam indolis leprosae fuisse. —

71) Plura de istarum regionum febribus tam intermittentibus quam remittentibus lecturus conferat:

a. De Cataloniae febribus. —

Villalba, epidemiologia española. T. II. p. 252 et sequ.

Memorias de la Real Academia médico-práctica de la ciudad de Barcelona. T. I. p. 378. p. 384. p. 466 etc. —

Masdevall, Relacion de las epidemias de calenturas putridas y malignas, que en estos nltimos años se han padecido en el principado de Cataluña etc. Madrid. 4. 1785. —

Sastre y Puig, Reflexiones instructivas apologéticas sobre el eficaz y seguro metodo de curar las calenturas etc. Cervera. 4. 1785. —

Pons, Discurso sobre las calenturas del Ampurdan. —

Proudfort, On the endemic Fevers of Spain in Edinbourgh med. and surgic. journ. Nro. 90 et 91. etc. —

b. De Galliae meridionalis febribus. —

Baumes, Mémoire sur les maladies qui resultent des emanations des eaux stagnantes et des pays marécageux. Par. 1789. 8. —

Chaptal, Mémoire sur l'insalubrité des lieux voisins des étangs. Montpellier. 1783. —

Fulcrand - Pouzin, de l'insalubrité des étangs et des moyens d'y remedier. Montpellier. 8. 1813. —

Lafosse in Mémoires de la Societé de medecine de Montpellier. ann. 1772.

Varias Galliae meridionalis topographias. —

Constitutiones epidemicas a clariss. DD. Broussonnet et Caizergues in Ephemeridibus medicis Montepessulanis nec non in Diario a cl. Delpech edito (Mémorial des hôpitaux du midi) relatas. —

Complures dissertationes inaugurales Montispelii editas exempl. grat. quas Arnal, Janquet, Martin, Dax, Blavet, Guerin et alii conscripserunt etc. etc. —

c. De Liguriae febribus.

Praeter alia Foderé, Voyage aux alpes maritimes. T. II. p. 247. etc. —

72) In aliis quoque terrae partibus Lepram nusquam, nisi in regionibus humidis et paludosis obvenire, clarus Raymond l. c. probavit, cujus de hac re sententiam conferre lectori benevolo placeat. —

CONSPECTUS CAPITULORUM.

	Pagina.
Introductio, brevem morbi in occidente historiam nec non dissertationis propositum sistens	3 — 9
Capitulum I. Breve quoad Lepram itinerarium sive succincta de Lepra in itinere observatorum et collectorum enumeratio	10—16
Capitulum II. Morbi descriptio	17—31
Capitulum III. De diagnosi quaedam	32—36
Capitulum IV. De aetiologia quaedam	37—45
Capitulum V. De cura quaedam	46—50
Capitulum VI. Observationes quaedam singulae .	51—69
Citata et adnotationes quaedam	70—78

ERRATA QUAEDAM GRAVIORA.

Pag. 10	lin. 4	l. Succincta	pro	Succinta.
— 33	— 17	— aereo	—	acreo.
— 39	— 25	— pluriumque	—	plurumque.
— 45	— 7	— mendis	—	mentis.
— 49	— 19	— unguento	—	unquento.

CONSPECTUS CAPITULORUM.

Pagina.

Introductio, brevem morbi in oculorum historiam nec non dissertationis propositum sistens . . . . 3 — 9

Capitulum I. Breve quoad Iecoris functionem sive mechanica de Iecore in itinere observationum et colorum enumeratio . . . . . 10—16

Capitulum II. Morbi descriptio . . . . . 17—23

Capitulum III. De diagnosi quaedam . . . . . 24—36

Capitulum IV. De aetiologia quaedam . . . . . 37—45

Capitulum V. De cura quaedam . . . . . 46—50

Capitulum VI. Observationes quaedam singulae . . 51—60

Data et adnotationes quaedam . . . . . 70—73

ERRATA QUAEDAM GRAVIORA.

Pag. 10	lin. 4	l. Sanciata	pro Sanctiata.
— 33	— 17	— aerea	— aereo.
— 39	— 23	— plurimque	— plurimque.
— 43	— 7	— nuecis	— nucis.
— 59	— 19	— unguento	— unguento.


GALLIA
CATALONIA
GALLIA
LIGURIA